DE VNITATE ESSENTIÆ Diuinæ, & tribus in ea ſubſiſtentibus perſonis, aduerſus Arianos ὁμοιουσίους.

***

Illuſtriſsimo Principi Nicolao Radzwilo, Dei gratia in Oliika & Nieſſweſch Duci, D. in Kleczko & Grodeck, Palatino Vilnēſi, Magni Ducatus Lithuaniæ ſupremo Marſchalco & Archicācellario Breſtenſi, Cauionēſi, Boriſſouienſi, Schaiolenſique Capitaneo generali.

ILLVSTRISSIME Princeps, binas à Celſitudine tua literas vno tēpore accepimus, vnas D. I. Caluino, beatæ memoriæ viro, alteras nobis inſcriptas, vtraſque copioſè & eleganter ſcriptas, quibus quòd tam ſerò reſpondeamus, rogamus C. T. vt neque negligentiæ, neque vlli alii rei tribuat quàm tabellariorum à nobis Tubingam, vnde miſſæ ſunt ad nos literæ, commeantium penuriæ. Quòd verò in re tam graui, támque ſeria, adeo

paucis reſpondeamus, hæ ſunt cauſæ.

Legimvs, idque non ſine horrore, quæ Gregorius Paulus Caſanonius, & alii nonnulli à Blandrata & Gentile faſcinati, tres perſonas, ſiue ὑποστάσεις in tres numero οὐσίας ſiue eſſentias transformantes, variis libellis ſcripſerunt: in quibus tam multa tum ambigua tum etiam ἀσύστατα comperimus, vt de eorum dogmatibus & argumentis ne nunc quidem penè nobis liqueat.

Literae verò tuæ, quanuis multò clarius perſcriptæ, tamen noſtræ ruditati, vt ingenuè cum T. C. loquamur, non per omnia ſatiſfaciunt, præſertim in tertiæ illius conciliatoriæ ſententiæ explicatione, quam ſi rectè intelligimus, putamus ab illa ſiue Gentilica, ſiue Gregoriana parum admodum diſsidere.

Itaqve quum de rebus ipſis, ac multò minus etiam de aduerſariorum argumentis nondum ita nobis conſtet, quin meritò vereamur ne videri poſsimus vel de rebus non controuerſis fruſtra laborare, vel non ſatis appoſitè aduerſariorum ſentẽtiam oppugnare, quę res poſſet iſtas infœlices contentiones potius accendere quàm extinguere: ac pręterea etiam quum res ipſa oſtendat, ſcribẽdis vltro citróque tam multis, creſcere potius altercationes, quàm imminui, dum vnuſquiſque quod ſemel ſcripſit non patitur reprehendi: idcirco priuſquam iuſtum ad ſingula reſponſum edamus,

mus, hoc à T. C. pro Chriſti nomine flagitamus, vt iſtos quibus non placet hæc propoſitio, PATER, FILIVS, SPIRITVS SANCTVS SVNT VNVS ET IDEM DEVS, huc adigas, vt totum ſuum dogma tum de eſſentia, tum de hypoſtaſibus, ſigillatim, clarè, & diſtinctè, certis & perſpicuis theſibus perſcribant: deinde ſuas etiam rationes tum ex Dei verbo, tum ex patrum Græcorum & Latinorum ſcriptis deſcriptas adiiciant, atque etiam, ſi libebit, noſtrorum argumentorum, quę non ignorant, refutationes.

NAM ita demum fiet, vt & plenius & certius reſpondeamus: quod quum etiam ſi T. C. à nobis pro ſuo in patriam atque adeò in totam Eccleſiam ſtudio non petiiſſet, vltro facturi eſſemus, multò nunc etiam à T. C. interpellati, libentius ac diligentius, pro modulo gratiæ nobis à Deo Opt. Max. conceſſæ facere omnino decreuimus.

INTEREA verò ne nos arbitrentur nonnulli vel tergiuerſatione, vel aſtu aliquo reſponſum differre, palàm teſtamur apud C. T. Illuſtriſsime Princeps, nos per Dei gratiam in vera & orthodoxa ſententia de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, tribus quidem numero & reipſa diſtinctis perſonis, & vno nihilominus ac eodem ſecundum eſſentiam Deo, non modò perſeuerare, ſed etiam magnopere perlectis iſtorum cōmentis fuiſſe cōfirmatos

QVID enim ineptius, imò verò quid magis impium, quàm ſimplicisſimam infinitatem numero multiplicare?

ITAQVE eſt quidem horrẽda Iudæorum cæcitas qui indiſtinctam *οὐσίαν* ſtatuunt, & execranda Sabellii impudentia, qui perſonas ſic agnoſcit, vt verbo tenus non re diſtinguat, & horrenda Arianorum blaſphemia, quorum alii *ἑτερούσιον*, alii *ὁμοιούσιον* illum conſtituunt: quod idem Macedoniani de Spiritu ſancto docuerunt.

SED omnes iſtos quantumuis deteſtabiles, minus tamen abſurdè, quàm olim Seuerianos, & nunc iſtos de quibus agimus, loquutos fuiſſe arbitramur.

RETINENT enim illi hoc fundamentum, vnicum eſſe Deum ſicut vnica eſt eius eſſentia, cuius realem in tres perſonas, abſque eſſentiæ diuiſione, diſtinctionem quum ſolum Dei verbum declaret, ex eo autem ſapere illi recuſarint: non mirum eſt eos iſtam perſonarum diſtinctionem non tenuiſſe.

ISTI verò quid tandem diſcerpta in tres deos diuina eſſentia, integrum in Religionis fundamento relinquent?

LIBENTER tamen nobis perſuaſerint ſeſe multitudinem deorum vitare, ſi dixerint, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnum, id eſt, vna diuina natura ſiue eſſentia. Quaſi verò etiamſi exempli cauſa, Petrus, Ioannes, &

Iaco-

Iacobus dicatur vnum eſſe ſpecie, idcirco tres homines non ſtatuantur.

QVID igitur attinet tergiuerſari, & cur non potius liberè & ingenuè proferunt quod ex eorum dogmate prorſus conſequitur, nimirum vnam quidem eſſe diuinitatē, ſed tres deos, & quidem inter ſe impares, quum maius ſit eſſe à ſeipſo, quàm habere ſuum eſſe ab alio, ſiue precariò Deum eſſe?

CERTE vel vnicum numero Deum cōſtituant oportet, vel plures. Si vnicum, qua de re digladiantur? Sin plures (deriuata videlicet Filii eſſentia à Patris eſſentia, vt ſint duæ numero eſſentiæ) qua fronte audebunt negare ſe plures numero deos ſtatuere?

ITAQVE ſi iſtis credimus non erant ſimpliciter accuſandi veteres illi idololatræ, quòd multos deos colerent, ſed quòd plures tribus, & quidem falſos deos colerent.

IAM verò iſta eſſentiæ diuinæ multiplicatio ſiue in duos (audimus enim iam etiam Spiritum ſanctum à quibuſdam illorum expungi) ſiue in tres deos, quomodo cum altero ipſorum dogmate conuenit, quæcunque videlicet de vno & ſolo Deo in Scripturis dicuntur, nec de Filio, nec de Spiritu ſancto eſſe intelligenda?

NAM ſi vnus & ſolus Pater eſt Deus, conſequitur Filium vel Deum non eſſe, vel alio genere diuinitatis Deum eſſe, quàm Patrem,

qui eſt Arrianorũ error:ſicut ſi nato Abele,ſo lus & vnus Adã erat homo,Abel filius eius vel homo nõ erat,vel alia humana natura, quàm pater ipſius prędit⁹,ac proinde ſpecie differẽs.

Qvod enim reſpondent, ſolum Patrem eſſe αὐτόθεον, id eſt vt interpretantur, à ſeipſo ſuum eſſe habere,ac proinde ſolum Deum dici,quàm ineptè dicitur?

Nam à ſe vel ab alio eſſe aliam naturæ ſpeciem non conſtituit: ac proinde Pater ob illam cauſam ſolus & vnicus Deus eſſe dici nõ poteſt nec debet, ſed ſolus & vnicus Pater, ſicut ſolus & vnicus Filius,quia vnigenitus.

Nec tale quidquam quale iſti comminiſcuntur Apoſtolo in mentem venit, quum vnum ſolum Deum Patrem, & vnum ac ſolum Dominum Ieſum Chriſtum vocaret:ſicut copioſius aliquando, fauente Deo, declarabimus.

Qvod porrò nos vt Sabellianos accuſant, quo tandem iure faciunt?Sabellio eſſentiæ & perſonæ nomina confundenti, Pater, Filius,& Spiritus ſanctus erant vnus, qui nobis tres ſunt, ſuis incommunicabilibus proprietatibus verè & reipſa diſtincti. Quæ igitur inter illum & nos affinitas?nempe quæ inter tenebras & lucem.

Nec enim hę duę enũtiationes,Pater, Filius, et Spiritus Sanctus sunt vnus, &, Pater, Filius et

Spi-

SPIRITVS SANCTVS SVNT VNVS DEVS, idem declarant. Illa enim perſonas confundit, quod eſt Sabellianum: iſta verò docet ſic diſtingui perſonas, vt ſingulæ in vna eadémque diuina eſſentia ſubſiſtant: ac proinde ſingulæ ſint non tantùm vna diuinitas, ſed etiam vnus & idem numero Deus, cuius in vno Deo triplicis ſubſiſtentiç ordo à Patre incipit, & in Spiritum ſanctum deſinit.

ITAQVE quum nos irrident iſti quaſi cõtradictoria loquentes, quum tres vnum eſſe dicimus, vix reſponſionem merentur. Neque enim dicimus tres perſonas eſſe vnam cum Sabellio, ſed hypoſtaſes in vna eſſentia ex verbo Dei diſtinguimus proprietatibus & numero:

AT enim, inquiũt, non dicitis VNVM, ſed VNVS: Imò verò nõ dicimus ſimpliciter VNVS, ſed cum adiectione, VNVS DEVS, reſpectu videlicet vnius eiuſdémque eſſentiæ, in qua tres illi ſic ſubſiſtunt, vt nec diuiſi ſint, nec etiam coniuncti, ſiue συνέσιοι, ſed ita ſuis proprietatibus incommunicabilibus reipſa diſtincti, vt quilibet trium alius ſit ſecundum hypoſtaſin, quàm reliqui duo: & tamen quia in tota eadémque eſſentia ſubſiſtit, ideo ſit vnus & idem Deus atque reliqui duo.

NEC aliud intellexit Nicenum Concilium, licet ambigua loquutione, quum ſcriberet DEVM DE DEO, non vt duos deos con-

ſtitueret, ſiue aliquam deitatem ex deitate deduceret: ſed ſimpliciter, vt eſſentię identitatem in duabus perſonis aduerſus Arium aſſereret.

SIC Ioannes, Verbum quod Deus erat apud Deum, in principio fuiſſe ſcribit, non duas numero eſſentias, ſed duas in vna & eadem eſſentia ſubſiſtentes perſonas declarans.

NEC alio ſenſu Hilarius (quem vnum iſti authorem laudant) illud, VNVS EX VNO, TOTVS EX TOTO, PERFECTVS EX PERFECTO, ſic inculcat, vt tamen non modò duplicem diuinitatem, ſed etiam duos numero deos eſſe neget: quoniã videlicet ſic Filius eſt alius à Patre, atque adeo ſecundus ordine, quatenus eſt genitus, vt tamen quia totus in vna eadémque eſſentia ſubſiſtit, ſit vnus & idem atque Pater, quatenus eſt Deus.

QVA ratione verò in ſpeciebus creatis ſimiliter non eueniat, ſic etiam T. C. accipiat. Species creatæ, vt homo, etſi ſecundùm formam diuidi non poſſunt, tamen quoniam indiuiduis quantitatiuis (vt ita loquar) ſubſternuntur: idcirco ſecundùm quantitatem reipſa diuiduntur. Itaque (quod dictum ſit exempli cauſa) Petrus, Ioannes, Iacobus, quãuis forma illa vniuerſali & ſpecifica vnum ſint, tamen non vnus homo, ſed tres homines dicuntur: reipſa nimirum, non tantùm ſuis proprietatibus incommunicabilibus diſtincti, ſed etiam

ſua

ſuâ quantitate diuiſi. Sic Gabrielem, Raphaelem, & Michaelem non modò tres diſtinctas vnius Angelicæ naturæ hypoſtaſes, ſed etiam tres ſpiritus eſſe dicimus. quia etſi non quantitate corporea, ſubſtantiæ tamen proprietate finiti, reipſa inter ſe ſecernuntur. At in diuina eſſentia omnibus modis ſimplicisſima, & actu infinitisſima, nec diuiſioni nec compoſitioni locus eſſe poteſt, ſed ſoli diſtinctioni, quam nobis nec caro nec ſanguis, ſed Filius ipſe patefecit.

QVAE autem eſt ipſius naturæ, eadem quoque eſt eorum ratio, quæ abſolutè de ea prędicantur: ac proinde ſingulæ perſonæ ſunt vnus & idem æternus, immenſus, infinitus, & omnipotens Deus.

ITAQVE quum apud illum & re & nomine Gentilem in illo aduerſus Athanaſium libello plures æternos & omnipotentes legeremus, agnouimus in illo impletum eſſe quod fore prædixit Apoſtolus, nempe vt eiuſmodi homines in reprobam, ſiue in omnis ſenſus ac iudicii expertem mentem traderentur.

DE his autem quæ per relationem prædicantur, & eam quidem eiuſmodi, vt ὑφισταμένην ἰδιότητα deſcribant, aliter ſentiendum: quoniam, vt aduerſus Praxeam rectè declarat Tertullianus, hęc eſt relatiuorum natura, vt neque eadem, neque alterum abſque altero eſſe poſſit.

QVATERNITATEM denique qua tandem fronte nobis imputant? Somniant enim (quod libro 4. ſatis tamen obſcurè arguit Hilarius) nos per ἰσίαν neſcio quid ſeorſim Patre, Filio, ac Spiritu ſancto anterius ſignificare, quod ſit in ſeſe Deus, vt ſit hoc modo quartus quidam communis Deus, ad quem tres illæ perſonæ adiungantur, vt ſic quatuor euadant: aut certè tres illæ perſonæ tanquam totius partes illud commune conſtituant.

ILLVD autem commentum quàm ſit inſipidum, vel ipſe ſenſus communis in rebus naturalibus docet. Neque enim per ſe vniuerſalia quę vocant, exiſtunt, ſed hypoſtaſes in ipſis ſubſiſtunt. Niſi fortè iſti humanam naturam extra ſua indiuidua tãquam vnum quidpiam numerent: ita vt ad indiuidua accedens eorum numerum augeat.

ITAQVE ſciant illi nos, quum eſſentiam diuinam nominamus, non communem aliquem ſeu aggregatiuum Deum, ſed id in quo toto & eodem ſingulæ illæ perſonæ ſubſiſtunt ſuis ſubſtantialibus proprietatibus, vt antè diximus, diſtinctæ, animo concipere: & ita quidem vt Trinitatis nomine non vnum communem Deum ſeorſim, ſed tres in vna eſſentia ſubſiſtentes perſonas intelligamus: quia ſicut rectè ſcripſit Gregorius ille Nazianzenus, nec vnam eſſentiam extra illas tres perſonas, nec tres perſonas extra totam illam eandem & vnam

nam eſſentiam animo concipere poſſumus. Hinc etiam factum, vt rectè parens ille noſter beatæ memoriæ D. Ioannes Caluinus, verus huius veritatis aſſertor, precationem illam, Sancta trinitas vnus Deus, ſcripſerit barbariē ſapere: quoniam nimirum niſi dextra interpretatione molliatur, quiddam extra tres perſonas ſubſiſtens, aut ipſas tres perſonas componēs innuere videtur, ad illud vniuerſale (quod tamen per ſe non ſubſiſtit, ſed in quo potius tria illa ſubſiſtunt) inuocationem dirigens.

QVANQVAM aliud ſenſiſſe non dubitamus, *qui ſic primi ſunt loquuti*. Hoc autem qui ſic arripuerunt vt T.C. ſcribit, magnam optimo viro iniuriam faciunt, & ſuam impudentiam apertè produnt.

SED iam nobis videntur illi poſtulare, vt non rationibus, quas humanas vocant, ſed ex verbo Dei pugnemus. Quaſi verò tres perſonas, vnica numero manente ipſarum eſſentia, conſtituere, philoſophicum ſit commentum.

CAETERVM dum plenum illud à T. C. reſponſum expectamus, vt ſingula verbi Dei teſtimonia accuratius explicemus, ſemel iſtis opponimus quæcunque pro vno Deo aduerſus deorum multitudinem in Scripturis dicuntur.

ET quoniam Filium & Spiritum ſanctum non ſecus quàm Patrem adoramus, qui tamen vnum Deū iubemur adorare: idcirco Patrem

à quo tamen,vt principio,manat perſonarum diſtinctio, Filium & Spiritum ſanctum ſigillatim vnicũ illum eſſe Deum credimus ac profitemur,qui ſolus eſt adorandus.

SOLVM Iehouam fuiſſe Iſraelis ducem teſtatur in cantico ſuo Moſes: hunc autem apertè nominat Chriſtum Paulus. Itaque non duos, ſed vnum numero Iehouam eſſe fateantur neceſſe eſt, qui ſolus dux fuiſſe dicatur: quanuis alia ſit Patris, alia magni ipſius Angeli perſona.

SED de his aliâs plura, vbi quod à T.C. petimus præſtiterint. Nunc ad T.C. redeamus. Precamur Illuſtriſs. Princeps, vt iſtos hûc adigas, vt quam blaſphemiam de pluribus numero diis iampridem in animo habent, apertè tandem eloquantur.

OPORTET, inquam, eos vel vnum eundémque Deum nobiſcum fateri, vel plures ex vno deducere: ac proinde vni vero Deo, & omnibus eius ſanctis execrabiles fieri.

AGE igitur, probent apertè ſuum dogma, quod ex Philopono, Seuero, Damiano, & cæteris infelicis memoriæ monſtris hauſerunt, ídque ſi poſſũt vel rationibus, vel ex Scripturis, vel Patrum veteríſque Eccleſiæ conſenſu confirment. Nos viciſsim eandẽ cõditionem accipimus: & niſi tam manifeſtè ipſorum blaſphemiam patefecerimus quàm clarus eſt meridies, tum demum, Illuſtriſs. Princeps, pro

pſeu-

pſeudoprophetis haberi ac traduci minimè recuſamus.

HILARIVM vnum præ cæteris laudant, nempe quoniam nihil eo durius nec obſcurius eſſe poteſt: quod tamen nulla ipſius iniuria dictum velimus.

AVGVSTINVM autem ſine controuerſia optimum ac doctiſsimum ſcriptorem, atque adeo Hilarii σύγχρονον, cur tandem non admittunt? nempe quoniam illis eſt ſophiſta: adeo vt Auguſtinianum quendam Deum per ludibriũ iactent. Atqui vel vnica iſta vox, Illuſtriſs. Princeps, ſic mentes piorum omnium vulnerauit (ac meritò quidem) vt minimè miremur pios omnes qui nũc iſtic ſuperſunt, ab iſtis non minus, quàm ab ipſo diabolo refugere. Quis enim ſano homini perſuaſerit aliter docuiſſe Auguſtinum de Trinitate, quàm Aphricanas Eccleſias? & iſtas rurſus aliter, quàm catholicus conſenſus ferret, ſenſiſſe?

SVNT quidem, fateor, ſui in Patribus næui (quis enim hoc neget?) ſed tales vt fundamentum diuinitatis ſaluum retineant: quo ſublato, quam fuiſſe illorum fidem, & quam Eccleſiam arbitrabimur?

ITAQVE Illuſtriſs. Princeps, diſsimulare apud C.T. nec poſſumus nec debemus, inexcuſabiles eſſe quicunque iſtiuſmodi hominibus aditum iſtuc patefecerunt: quum præſertim & quis homo ſit Blãdrata, & quæ infamis ac per-

iuri illius Gentilis impuritas publicis etiam ſcriptis maturè ac verè ſimul ſimus teſtati.

Deinde etſi grauis & ardua imprimis eſt iſta quæſtio, tamen eſt ex earum genere, de quibus poſt innumera illa contra hæreticos certamina, non magis fas ſit quærere, quàm an ſit aliquod numen, & æterna vita ambigere.

Qvòd igitur nunc adeò miſerè non modò impeditur præclarum illud Domini opus, ſed etiam vniuerſum Poloniæ regnum triſtiſſimis diſsidiis laceratur, dolemus certè ex animo, & aſsiduis cum lachrymis deploramus. Interea tamen iuſtum Dei iudicium, ſic quorundam quos minimè oportuit (quod ſine conuitio dictum ſit) curioſitatem ac vanitatem iuſta excæcatione vindicantis, agnoſcere & adorare cogimur.

Ipsivs autem Regiæ maieſtatis pium ac prudens conſilium de blaſphemis iſtis ex ditione ſua ſemel quaqua ratione tollendis non aliter, quàm ſancta illa Ezechiæ, Ioſiæ, Azę, & piorum aliquot Regum Iudah edicta laudamus ac prædicamus: modò ne hoc prætextu vera religio aſtutia quorundam damnetur, & qui ab iſtis faſcinati in errorem abducti ſunt, ab ipſis blaſphemiarum authoribus ac defenſoribus, ſicuti par eſt, diſcernantur.

Privatos autem fratres, ac imprimis orthodoxos eccleſiarum Paſtores hortamur in Domino, vt ſeditiones ac tumultus ab indiſcreto

diſcreto zelo proficiſcentes pro viribus impediant: & memores non ſibi, ſed Magiſtratui gladium eſſe conceſſum, Spiritu oris Dei, fide, patiētia, precibus aduerſus iſtos animarum ſubuerſores indefatigabili labore decertent.

QVOD enim nonnulli quædam D. Caluini verba ex poſteriore ipſius ad fratres Polonos Epiſtola detorſerunt, quaſi ad mutuas cædes eos hortaretur, eſt intolerabilis impudentiæ calumnia.

DENIQVE fortiſsimam illam Polonicam Nobilitatem, ac T. imprimis C. Illuſtriſsime *Princeps, quem audimus pietate ac dignitate in Polonico regno excellere*, per ipſum Patrem, Filium, ac Spiritum ſanctum vnum Deum noſtrum obteſtamur, vt ſibi ac patriæ ab iſtis vaſtatoribus multò etiam ſtudioſius ac fortius, quàm ab vllis Tartaris ac Moſcouitis caueat: quod ſi fiat, tunc optima & maxima quæque florentiſsimo Poloniæ regno ominamur: quoniam ſcriptum eſt fore, vt Deus honoret à quibus honoratur. Sin minus, quod Dominus pro ſua bonitate auertat, proſpicimus maximo cum animi noſtri dolore futurum, vt quibus olim cladibus cœleſtis ille Pater horrendas Arrii præſertim, Neſtorii, Eutychetis, & aliorum eiuſmodi, blaſphemias vltus eſt, iiſdem quoque non diſsimiliter peccantes inuoluat.

HIS autem malis impediendis libenter

non tãtùm operam noſtram ſed etiam vitam, Dei gratia freti impendemus.

QVOD ſupereſt, Illuſtriſsime Princeps, Dominum ac Deum noſtrum precamur, vt afflictæ Eccleſiæ ſuæ miſertus, Satanæ furores compeſcat, omnes Eccleſias, ac Polonicas imprimis, in vero ſanæ religionis conſenſu ſtabiliat ac confirmet, tuámque C. magis ac magis omnibus donis ad tanti regni pacem ac tranquillitatem neceſſariis pergat exornare. Geneuæ 14. Calend. Aprilis, 1565.

V. C. addictiſsimi Geneuenſis Eccleſiæ Paſtores ac Profeſſores.

ILLVSTRIS-

ILLVSTRISS.

DVCI, CHRISTOFORO DVCI WIRTEMBERGENSI Comiti Mõpelgardẽſi, Tekenſi, &c.

***

COGIT me D. Andreæ biduanum quoddam reſponſũ Illuſtriſsime princeps, rurſum T. C. de eadem re moleſtum eſſe. Sic enim ille, qua eſt linguæ promptitudine, non expectata libelli mei tota editione, ad tres eius paginas biduo reſpondit vt nonnulla maximi momenti argumẽta præterierit, errores quoſdam D. Brentii auxerit, quædam denique ſiue imprudenter, ſiue alia quauis ratione mihi impegerit, de quibus nunquam cogitaui: quę tria paucis declarare conſtitui, vt tandem veritatis fulgore diſsipetur mendaciorum obſcuritas.

QVAESTIO eſt quid ſit hypoſtatica duarum naturarum vnio, quam aliter D. Brẽtius, & D. Andreas explicant, & nos rurſus aliter definimus ex verbi Dei, vt arbitramur, autho-

ritate & Orthodoxi Chalcedonenſis concilii decreto.

Brentianae igitur ſententiæ hæc ſumma eſt. Vniri diuinam naturam cum humana, ſimpliciter acceptum, idem declarare atque implere eam ſua eſſentia, & præterea aliquid in eam conferre, adeò quidem vt omnes homines ſuo quodam modo conſtent ex iis duabus naturis inſeparabiliter vnitis, quandiu durat compoſitum: Personaliter autẽ vniri duas illas naturas in Chriſto, idem ſignificare, atque aſſumentem naturam nempe diuinam, non modò ſua eſſentia, humanam aſſumptam naturam, vt alios homines, atque adeo quamuis creaturã implere, & aliquot dona in eam cõferre, ſed etiam præterea omnibus, omnibus, inquã, diuinis donis, ac imprimis quidẽ omnipræſẽtia, eam exornare. Deniq; ſi D. Brẽtio credimus, vnio eſſentialis diuinę & humanę naturę, cõmunis eſt Chriſto cum omnibus hominibus, in quibus eſt & ipſa ἐνεργητική, ſed tantùm aliquatenus. Perſonalis autem, quæ eſt vnius Chriſti propria, nihil aliud eſt quàm perfectiſsima Diuinitatis ἐνέργεια, talis nimirum, vt quæcunque habet Diuinitas per naturam & eſſentialiter, habeat in ſeſe humanitas ex gratia, & per accidens.

Hoc dogma coram omnibus Eccleſiis accuſaui, & adhuc accuſo, vt ex duabus inter ſe etiam

tiam repugnantibus blaſphemiis Neſtorii & Eutychetis conflatum. Neſtorianum enim eſt in eo quòd Chriſtus hoc modo, quod ad diuinam οὐσίαν attinet, non aliter Deus quàm reliqui homines ſtatuatur, ac proinde in duas hypoſtaſes ſeu perſonas, manifeſtè diſſoluatur. Eutychianum autem delirium eſt, omnes diuinitatis proprietates in humanitatem collatas ſiue (vt etiam loquitur Brentius) effuſas arbitrari. Quod vtrunque his argumentis demonſtraui.

Deus Pater & Spiritus ſanctus implent omnia, nec tamen cuiquam rei vniuntur eſſentialiter nedum perſonaliter. Ergo diuinam naturam ſeſe vnire cum aliquo, vt id dici poſsit vllo modo ex diuina natura, & altera ſibi propria conſtare, longè aliud eſt, quàm ſua eſſentia aliquid implere. Probatur antecedens, quia ſi res creatæ aliquatenus ex diuina natura conſtarent, eatenus dicerentur Deo ὁμοούσιοι, quod tamen in vnam Chriſti perſonam competit, idque ſolius Verbi reſpectu, cum aſſumpta natura in ſolo Chriſto ſubſtantialiter vniti.

Ad hoc autem argumentum ſic reſpondet D. Andreas, *Mirandum eſt*, inquit, *in Beza, quod reprehendat Brentium, qui humanam naturam etiam extra humanitatem Chriſti, hominibus vnitam, & quidem inſeparabiliter quibuſdam vnitam dicat.* pag. 3

ROMA

Brentius pag. Recognitionis 16 & 20 Andreas pag. Aſſertionis 16 & Theſi 20

At ego miror D. Andræa, quî factum ſit vt quod de quibuſuis hominibus, atque adeò de quauis re paſſim inculcat D. Brentius, & tu ipſe ad ſaxa vſque extendis in hàc ipſa tua Aſſertione, hoc loco ad quoſdam tantùm, nimirum ad Sãctos reſtringas, in quibus etiam ipſis PRAESENTIAM cum VNIONE manifeſtè confundis.

ADDIT poſtea D. Andreas, *Audiat viciſſim Beza quod Chriſtus orauit, Gloriam*, inquit, *quam dediſti mihi dedi eis, vt ſint vnum ſicut nos vnum ſumus: ego in eis, & tu in me. Num tibi quoque impropriè Chriſtus locutus videtur?*

MINIME verò, ſed quod de voluntatis & charitatis nexu dixit Chriſtus, ad ſubſtantiæ vnionem imperitè accommodas. Deinde ſi verum eſſet quod hoc teſtimonio (niſi fortaſſe quæſtionis propoſitæ oblitus es) probare voluiſti nempe ſuſtẽtationis præſentiam, VNIONEM eſſe, cur flagitaret Chriſtus ſuis tribui, quod omnibus creaturis competeret?

2 DAEMONIVM ſubſtantia ſua dęmoniacũ implens, & quidem maxima cum ἐνεργείᾳ, non tamen cum eo vnitur. Ergo ſubſtantia ſua aliud implere etiam cum efficacia, longè aliud eſt quàm ſecundum naturam vniri, quo argumẽto vtitur ipſe D. Lutherus, vt prolato ipſius teſtimonio in libello meo declaraui.

RESPONDET D. Andreas, valde abſur-

dum

dum eſſe hoc exemplum, *neque enim*, inquit, *dæmonium ita ſe coniungit homini, vt ad hunc modum vniatur cum homine, ſed potius vt eum affligat & diſcerpat.*

ATQVI D. Andrea, hoc non eſt argumẽtum ſoluere. Neque enim cur vniatur, ſed an vniatur, quærimus. Quod ſi vera eſſet tua doctrina, diuerſus aut etiam contrarius vnionis finis, non impediret quominus dæmonium cum dæmoniaco ſecundũ naturam vniri meritò diceretur. Longè igitur rectius D. Lutherus, *qui hoc diſcrimen in re ipſa ponit*, id eſt in eo quòd *diabol' nõ poteſt homo fieri*. Ex quo cõſequitur naturas non vniri, ac proinde longè aliud eſſe præſentem implere aliquid ſua ſubſtantia, quàm ſecundum naturam ſiue ſubſtantiam vniri.

IDEO ſubiecit D. Andræas, *Dæmonium tamen & hominem ſuo modo vnum dici nemo intelligens negauerit, ſi maxime hanc vnionem, neque eſſentialem neque perſonalem dixeris, qua ratione Chriſtus dixit, Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus eſt diabolus?*

ADDAT etiam ſi libet, D. Andreas, Petrũ fuiſſe vnum cum Satana, quia Dominus eum Satanam vocauit: & Iudæos illos contumaces fuiſſe diabolos, quia dixit Dominus eos eſſe ex patre diabolo. Atqui de iis nunc agimus, quos dæmonium ſubſtantia ſua implet, non de iis

quos afflatu ſuo regit. Inepta eſt igitur hęc reſponſio, nec vllo modo ſpectãs ad propoſitam quæſtionem de ipſarum naturarum vnione.

3 Si vnio perſonalis eſt omnium proprietatum aſſumentis naturę in aſſumptam collatio, cõſequetur aliquorum bonorum collationem eſſe aliquatenus perſonalem vnionem, ac proinde Chriſtum, quatenus Deus eſt, à reliquis hominibus, imò etiam à reliquis creaturis, non toto genere, ſed ſecundum plus & minus differre: ſiue, ſicut Deus & res quæuis creata ſunt duo ὑφιστάμενα, ſic etiam Chriſtum hominem, & Deum in eo quantumuis efficaciter agentem, eſſe duas hypoſtaſes. quod dogma eſt apertè impium, quia Neſtorianum. Aliud eſt ergo perſonalis vnio, quàm omnium bonorum ſiue particularis ſiue vniuerſalis collatio.

Ad hoc argumentum nihil reſpondet D. Andreas. Quanuis enim videatur, vt ſuo loco dicam, aliam in Chriſto vnionem quàm participationis donorum agnoſcere, mox tamen ad ſuam ἐνέργειαν totus relabitur, adeò quidẽ, vt niſi illi aſſentiar, hoc ipſum argumentum in me retorqueat, nullum videlicet diſcrimen inter Petrum & Chriſtum à me conſtitui. Verùm quid attinet tergiuerſari?

Si in ſola Chriſti perſona (quod nos affirmamus) Verbum eſt ſubſtantialiter vnitum aſſumptæ carni: quorſum attinet Chriſti & a-

liorum

liorum diſcrimen quærere in ἐνεργείᾳ perfecta vel imperfecta?

SIN verò, vt apertè in ſuis theſibus ſcribit, non alia eſt Dei in Chriſto quàm in creaturis reliquis omnibus quoad οὐσίαν, diuinitatis præſentia, quomodo Neſtorianiſmum excuſabit? Neque enim accidentalis proprietatum etiam omnium in carnem collatio, ſiue, vt ipſemet loquitur, effuſio, quenquam efficere poteſt natura Deum, ſed tantùm per gratiam diuinum. Theſi 10

QVONIAM autem inter illas diuinitatis proprietates, Omnipræſentiam imprimis vrgent, cuius etiam vnius cauſa certum eſt infelicem hanc controuerſiam ab iis excitatam eſſe: ideò propriè etiam aliquid aduerſus illam dicendum putaui.

QVERITVR vbique Brentius, perſonam diſſolui à nobis, niſi ſtatuamus Chriſtum vbique eſſe ſecundum vtramque naturam, ex quo conſequitur Omnipręſentiam ab eo ſtatui pro ſpecifica hypoſtaticæ vnionis differētia. Etſi enim quædam etiam alia adiungit, veluti Omniſapientiam, Omniſcientiam, Omnigloriam, & cætera eiuſmodi, quæ omnia comprehendit Omnipotentiæ nomine, quod neque ignoraui, neque diſsimulaui: tamen certum eſt præcipuè de Omnipræſentia, ſiue de vbiquitate ab illis laborari, vt ipſo etiam

ore corpus Chriſti in ſub vel cum pane à quibuſuis ſumentibus manducari,nobis perſuadeant.Sic autem colligit:

Si diuina natura in Chriſto non vniuit ſibi humanam propius,quàm vt relinquat eam maieſtate ſua in vno certo loco, ipſa interim totum vniuerſum implente: quid quæſo Chriſtus differt hac in parte à quouis alio homine? Si quidem & Petri humanitas in vno tantùm loco eſt: diuinitas autem qua & impletur & ſuſtentatur vbique ſe diffundit, & quum propter hanc cauſam Petrus & Deus, ſint duæ diſtinctæ hypoſtaſes ſeu perſonæ, quomodo non etiam propter eandem cauſam filius Mariæ & Filius Dei, qui eſt in Filio Mariæ duæ fierent perſonæ?

HVIC autem argumento planè futili multiplicem tamen reſponſionem oppoſui, quam in hæc capita placuit digerere.

PRIMVM dixi nos nuſquam ſcribere humanam naturam à diuina relinqui, ſed contrà ſine controuerſia ſemper ſenſiſſe, inſeparabilem eſſe vtriuſque naturæ in Chriſto vnionem,etiamſi vtraque omnia non impleat,quoniam finitum & infinitum æqualiter non patent, cuius rationis duplex eſt fundamentum: Vnum,quia non cohæret λόγος cum humana natura in aliquo ſui puncto, ſicut in corporibus vnitis accidit:neque eſt cor pori alligatus,ſed corpus ita continet,vt & in

eo ſit, & extra omnia ſine quantitate, ſicut verè & eruditè ſcripſit Athanaſius. Alterum, quia ſicut ſecundum ſubſtantiam ſeparata eſſe poſſunt, quæ tamen ita ſunt propinqua, vt vnum alteri ſit præſens: ita ſimul ſubſtantialiter vnita eſſe poſſunt, quorum tamen alterum tertio cuipiam non ſit præſens. Exempli cauſa, Petrus & Ioannes ſimul in templum aſcendentes præſentes ſunt alter alteri, nec tamen propterea deſinunt eſſe ſecundùm ſubſtantiam duo ſeparati. E contrario verò, quid impedit quominus mihi ſit præſens caput, quîcum eſſentialiter cohæreant pedes qui à me abſint, nec tamen propterea caput à pedibus illis ſeparetur?

DEINDE ſi ſoluitur cōpoſiti vnio neceſſariò, niſi vbicunque fuerit vnum, ſit & alterum: conſequetur, ſeparata Chriſti anima à corpore, ſicut in ipſius morte & ſepultura accidit, diſſolutam fuiſſe hypoſtaticam Chriſti vnionem: quod tamen falſum eſt, quoniam & anima & corpus (quanuis alterum ab altero verè ad tempus abfuerit) ſemper tamen diuinitati vnita fuerunt.

ITAQVE cōcluſi non ſolui compoſitum, etiamſi cuicunque præſens eſt vna pars non ſit etiam altera propter inæqualitatem ſitus, ſicut in ſuperiore ſimilitudine capitis &

pedum oſtendi, vel etiam naturæ, ſicut cohæret ſolis corpus cum ſuo cælo, nec tamen eſt vbicunque eſt quæuis cæli pars, quum longè latius pateat cæli quàm ſolis corpus. Quantominus igitur mirum eſt hoc accidere in hac de qua diſſerimus vnione, in qua duæ naturæ tam ſua eſſentia impares vniuntur, vna videlicet exiguis corporis humani quantumuis glorioſi anguſtiis concluſa: altera verò tã infinita, quàm ipſa eſt infinitas infinita?

PRAETEREA quis Brentio concedet ſuũ antecedens, nempe Petrum & diuinitatem idcirco eſſe duas diſtinctas hypoſtaſes, quòd Petri humanitas ſit vno tantùm loco, diuinitas verò vbique ſe diffũdat? Nam ſi ita eſſet, ſaltem vbi hæc cohærent, eſſent vna hypoſtaſis, quòd tamen falſum & ridiculum eſt exiſtimare. Petrus igitur & Deus non tãtùm diſtinctæ, ſed etiam ſecundùm ſubſtantiam ſeparatę ſunt hypoſtaſes, quia Deus nuſquàm cum Petro ſubſtantialiter vnitur, vt in Chriſto λόγος ipſe & aſſumpa caro in vnam perſonam coaleſcunt.

pag. 27 QVID autẽ ad hęc D. Andreas? nihil prorſus, niſi quòd illas ſimilitudines dicit ineptiſſimas eſſe, quoniam humanitas Chriſti non ita eſt vnita τῷ λόγῳ, ſicut ſolis corpus cælo, vel ſicut pedes capiti.

QVASI verò nos iſtis ſimilitudinibus vtamur, vt ineffabilem illam Verbi & carnis

vnionem per illas exprimamus, ac non potius vt manifeſtè demonſtremus, quoties inæqualia inter ſe coniunguntur, non ſolui ſubſtantialem vnionem, etiamſi vbicunque vna eſt, altera non ſtatuatur, ac proinde ruere Brentiani argumẽti baſin. Itaque, mi Andrea, hoc non eſt nodum ſoluere.

VSVS ſum autem etiam hoc argumento in tribus illis pagellis, quod tamen intactum præteriit D. Andreas. Vbicunque eſt λόγος, (eſt autem vbique) ibi quoque eſt Pater & Spiritus ſanctus, & tamen ſolus λόγος eſt aſſumptæ carni vnitus. Ergo vnum eſſe vbi eſt & alterum, non eſt ſpecifica perſonalis vnionis differentia.

SI omnes diuinitatis proprietates, in aſſumptã carnem ſunt effuſæ, ac præſertim Omnipræſentia, quę localitati ex diametro opponitur: neceſſe eſt inuehi Eutychianam naturarum confuſionem, quam Orthodoxa eccleſia meritò eſt execrata. 4

HVIC argumento quantumuis & ipſa rei veritate, & omnium Orthodoxorũ ſcriptorum authoritate confirmato, magnificè reſpondet his verbis D. Andreas. *Nullas*, inquit, *latebras quærimus, ſed perſpicuè reſpondemus, vt ab omnibus noſtrarum eccleſiarum doctrina quàm rectiſſime intelligatur. Si natura humana per ſe & abſolute intelligatur ratione ſua eſſen-* pag. 11

tiæ, affirmamus in ſtatu inanitionis ſuæ vno loco phyſice, & naturaliter circunſcriptam fuiſſe, & non in omnia loca diffuſam: ita etiam nunc de glorificata natura humana in Chriſto docemus, quod etiam in gloria, qua alii quoque Sancti ornabuntur, non ſit vbique diffuſa: ſed ſimpliciter retinemus articulum fidei noſtrę, quod ſit in cęlo, etſi cælum non loco, ſed ſumma beatitudine definitur, quia Deus omnia in omnibus erit. Tamen vbique diffuſam, aut, vt aduerſarii noſtri loquuntur, corporaliter diuinitati coextenſam eſſe negam⁹, ſed in eo ſtatu eſſe dicim⁹, de quo Apoſtolus, quod auris non audiuit &c. atque hoc modo dicimus quoque, humanam naturam, non modo eſſentia, ſed etiam proprietates glorioſi corporis retinere, &c. & mox, *Habet igitur nunc D. Beza quod petit, videlicet ſaluam non modo naturam humanam, ſed etiam proprietates eius naturæ ſaluas.*

EGO, ſi hæc eſſet veritas, quàm libenter, aſſentirer? Sed ingenuè reſpondeo me nullam hîc lucem perſpicere. Quid enim illud eſt RATIONE SVAE ESSENTIAE, & illud NATVRALITER, & illud RETINERE ſimpliciter articulum fidei, quòd ſit in cælo, & tamen cælum loco non definire, & illud POPRIETATES glorioſi corporis retinere, & quænam illæ ſint non explicare? Audite nunc autem viciſsim an latebras reſpondendo quæramus

ramus.

Qvaestio eſt, non an homo Chriſtus ſit vbique, quod abſit vt negemus, quum vnus & idem ſit Chriſtus Deus & homo: ſed an humana Chriſti natura ſit vbique, quàm nos alibi, quàm ſupra cælos extra huius mundi ſpatia nunc eſſe pernegamus Scripturæ authoritate freti. Ille igitur diſtinctionem hîc comminiſcitur, nempe humanam Chriſti naturam per ſe conſideratam adhuc permanere etiam in gloria finitam & *circunſcriptam*, qua in re candorem ipſius laudo, qui à preceptore ſuo nonnihil deflectens, localitatem ſiue circunſcriptionem, non inter accidentarias, & infirmitati tantùm congruentes, ſed inter eſſentiales & inſeparabiles corporis proprietates recenſeat.

Vervm quum vnum idémque hoc corpus ea maieſtate induit, vt propter adiunctam ipſi diuinitatem ſit Omnipræſens, quid aliud agit, quàm quòd conſequens ponit abſque antecedente? Vult enim quod in ſe finitũ eſt & circunſcriptum, adiunctæ tamẽ infinitę naturę proprietate frui, quod quũ dicit, prçterquã quòd abſurda dicit, & prorſ' ἀσύστατα, nõ videt ſeſe in Eutychetis gurgitẽ abripi? Neque enim Eutyches in eo tãtùm fuit reprehẽſus, quòd ipſas creaturas permiſceret, ſed in

eo quoque quòd proprietates etiam ἀκοινωνήτους confunderet. Fuit tamẽ ille, meo iudicio, nonnihil acutior, quòd rectè viderit eſſentiales proprietates, quum inſeparabiles ſint, non poſſe, niſi vna cum ipſa eſſentia cõmunicari: D. Andreas verò mirificam quandam rationem ſibi videtur excogitaſſe, qua fiat, vt aliqua natura in ſeſe finita permanẽs, tamen aliunde infinitatem mutuetur. Sed cui tandem hæc portẽta perſuaſerit, nulla, neque verbi Dei authoritate, neque probabili oratione nixus: imò verò tot ſacrarum literarũ teſtimoniis conuictus, quot naturæ humanæ in Chriſto veritas perpetua confirmatur?

VOLVIT tamen, opinor, dicere quod res eſt. Sic enim ſcribit alio quodam loco, *diuina natura*, inquit, *eſſentialiter adeſſe dicitur, quia eſt infinita eſſentia: humana autem natura, quæ finita eſt eſſentia per ſe, & perpetuò manet, perſonaliter, quod per vnionem perſonalem à Verbo ita ſit aſſumpta, vt per eã, & cum ea non naturaliter, ſed perſonaliter & vere præſenter omnia agat.* Ergo ſi huic credimus, PERSONALITER & NATVRALITER opponẽtur, quod ſimulatq; D. Andreas poterit diſcernere, ita vt oportet, id eſt, ſimulatque abſtracta à concretis diſtinxerit, compoſita erit cõtrouerſia. Quod enim dicit, (quod & ipſum tamẽ commoda interpretatione eget, de qua ſuo loco dicemus) non humanæ naturæ, ſed homini

pag. Aſſertionis 13

tribuen-

tribuendum eſt, quoniam humana natura in
Chriſto,ſiue illā in ſeſe,ſiue relatiuè vt diuini-
tati perſonaliter vnitā cōſideraueris, ſēper ma
net eſſentialibus ſuis proprietatibus diſtincta,
ac proinde finita, & certo loco circunſcripta:
homo verò non item, quia ex ſolo etiam ho-
minis nomine totū ὑφιστάμενον, quod eſt Deus
& homo,intelligitur,ex humanæ autem natu-
ræ nomine minimè. Vult, opinor, vt craſsius
loquar. Quocunque modo humanitatem cō-
ſideret,ipſa eſſe non poteſt diuinitas,neque eſ-
ſentia, neque proprietate vlla eſſentiali & in-
communicabili, alioqui verum eſſet Eutyche
tis dogma: ſed verum eſt hunc hominē aſſum-
ptum, eſſe ſubſtantialiter Verbū Deum, pro-
pterea quòd hic homo aſſumptus, & Verbum
quod eſt Deus, ſunt vna perſona: ideóque de
perſona verè prædicatur, quod non niſi alteri
naturę ſeorſim conſideratę conuenit.Itaque ſi
ſcriberet,Chriſtum hominem in ſeſe,ſiue qua-
tenus homo eſt,conſideratum,eſſe nunc in cę-
lis circunſcriptum, ac proinde quàm longiſsi-
mè à terris abeſſe:quatenus autē ipſe,& Deus
Verbum, ſunt vna eadémque perſona, hacte-
nus eſſe vbique præſentem, vera diceret, &
nos ipſi planè aſſentiremur. Eſt enim firma
hæc regula totius alicuius ſiue vniuerſi com-
poſiti partes tum etiam adeſſe, quum alioqui
abſunt,ſi per ſe,& quales re ipſa ſunt in ſeſe,cō
ſiderētur,cuius locutionis exempla quum tam

multa paſsim extent, vtinam hac de re deinceps nunquam ambigat.

Si ea proferam, in quibus propter hanc perſonæ vnitatem, humana attribuuntur diuinis, obiiciet nonnihil, de quo poſtea ſuo loco dicam. Sumã igitur vnum & alterum, in quo diuina humanis attribuuntur:

ANTEQVAM Abraham fieret, inquit Dominus, ego ſum. An cùm ſic loquitur Chriſtus, ſeipſum diuidit? minimè profectò. Verum eſt ergo Chriſtum totum fuiſſe ab æterno, quia, quanuis hoc de humana natura quocunque modo conſiderata verum non ſit: tamen de homine verum eſt, non in ſeſe, ſed quatenus vnus eſt cum Verbo, quod erat Deus in principio.

SIC filius hominis erat in cælo loquens cum Nicodemo in terris: humana autem natura non item. Quînam id verò? quia idem ille qui homo eſt ſecundum carnem, Deus eſt ſecundum ſpiritum: ac proinde, qui ſecundũ humanam naturam eſt tantùm in terris, ſecundum diuinam eſt etiam homo in cælis.

pag. 17. NON diſsimilis eſt proprietatum diuinæ naturæ diſtinctio à D. Brentio, & eius factionis hominibus excogitata. *Nam*, inquiunt, *proprietates diuinæ naturæ in Chriſto abſolutæ & per ſe in ea conſiderata, ſunt prorſus incommunicabiles*

biles

biles.nec ſignificant accidens in ſubiecto. λόγ☉ enim non eſt potens potentia, aut ſapiens ſapientia, ſed eſsentia verbi eſt ipſa potentia & ſapientia. Sicut ergo humanitas non poteſt fieri diuinitas: ita homo nunquam poteſt fieri eo modo potens & ſapiens, quo λόγ☉ eſt. Iſta tamen proprietates dicuntur communicabiles ea ratione, non qua creatura Deus efficitur: ſed qua diuinam naturam participat, id eſt ratione donorum quæ Deus ſui ipſius communicatione, in creaturas confert: de qua Petrus loquitur, quòd efficiamur diuinæ naturæ conſortes.

AGNOSCIT opinor, verba ſua D. Andreas, quorum hanc ſententiam eſſe opinor, quæ eſſentialia ſunt in Deo, accidentaliter & efficacia tenus creaturis communicari: ac proinde ſaluas manere diuinitati ſuas proprietates, etiam ſi omnis earum efficacitas in Chriſti carnem effundatur.

CAETERVM quod de eſſentia ipſa, & eius ſecundum efficacitatem participatione differit, verum eſſe concedo, ſed non ſine exceptione. Primùm enim quędam eſſe dico ſic eſſentialia in Deo, vt nulla prorſus ratione cum vlla creatura communicētur: cuiuſmodi ſunt, à ſe ipſo eſſe, omnis quantitatis expertē, abſque principio & fine, & cætera eiuſmodi. Neq; quum hoc dico, gradus aliquos in eſſentia Dei conſidero, vt aliquid ſit in eo magis &

minus eſſentiale:ſed hoc dico,quædam ſic ſibi vni propria Deum eſſe velle, vt creaturæ nullas inde qualitates mutuentur. Hoc autẽ in omnibus,vt ita loquar,Dei attributis, idcirco non valet, quoniam ſi Deus intra ſeipſum ita ſe contineret, vt nihil ſua luce irradiaret,nihil prorſus eſſet in rerum natura. Voluit ergo à ſuo Eſſe,res omnes mutuari,vt ſint, & variis exiſtentibus rebus qualitates indidit, vt totidem eſſent ſuæ perfectionis exemplaria:veluti cum ſapientes, iuſtos, fortes aliquos eſſe dicimus ab eſſentialis illius, quæ in vno Deo eſt, ſapientiæ, iuſtitiæ, fortitudinis efficacitate. Sed doce nos,quæſo, D. Andrea, ab infinitate Dei factos aliquos infinitos.

Altera exceptio eſt,malè(quũ de Chriſto agitur) detrahi homini, quod humanæ naturæ non competit. Nam vt humanitas nunquam ſit deitas,homo tamen factus eſt ſubſtãtialiter Deus,non in ſeſe quidem:ſed Verbi reſpectu, à quo in vnam & eandem perſonam eſt aſſumptus.Itaque omnino falſiſsimum eſt, quod ſcribit, hunc hominem non eſſe ſapientem, ſicut λόγος eſt ſapiens. Nam contrà, hoc agnoſcendum eſt, ſi Chriſtiani eſſe volumus, hunc hominem eſſe ipſiſsimum illum λόγον. Itaque quanuis humanitas non ſit facta λόγος, tamen τῷ λόγῳ ita eſt vnita,vt aliud quidem ſit λόγος quàm hæc caro:ſed non alius quàm hic homo

homo: & aliud ſit viciſsim hæc caro, non autē alius hic homo quàm λόγος, quod niſi fateamur, neceſſe eſt vt vel in Neſtorii, vel in Eutychetis caſtra tranſeamus.

Hanc diſtinctionem abſtracti & concreti quia non intellexit Brentius, ſic etiam eſt argumentatus, *Si diuinitas Chriſti, non habet vbique coniunctam humanitatem, quam aſſumpſit, ſequetur Chriſtum vno tantùm loco Deum & hominem eſſe in omnibus autem aliis ſolummodo Deum.*

Hoc argumentum ſic ego refutaui. Conceſsi antecedens, nempe diuinitatem Chriſti inſeparabiliter vbicunque fuerit (eſt autem vbique abſque quantitate) habere ſibi adiunctā humanitatem, quæ nuſquam etiam ſit abſque Verbo, in quo in vnitate perſonæ ſuſtentatur. Negaui autem hinc cōſequi quod vult Brentius, vbique videlicet adeſſe vtramque naturam: ſed illud potius de quo optimè conſtat, totum videlicet Chriſtum vbique eſſe Deum & hominem, quāuis ſecundum humanam naturam, non alibi nunc ſit quàm ſupra cælos: quia quod toti ſimul conſiderato ſiue perſonę conuenit, non tamen abſtractis eius (vt ita loquar) partibus, id eſt naturis quadrat.

Hoc autem ego veteres omnes Orthodoxos imitatus, ſimilitudine ab homine ſumpta declaraui, qui & ipſe ex duabus naturis planè

diuerſis anima videlicet & corpore, ſubſtan-tialiter & perſonaliter vnitis componitur. Hunc igitur mortalem & mortuum dicimus, quod tamen alteri tantùm parti, corpori videlicet conuenit: & contrà, ſapientem & intelligentem nuncupamus, quod tamen ſic eſt animæ proprium, vt corpori nullo modo competat: nec enim ſapiens, ſed ſapientis eſt corpus.

SIC de Chriſti perſona loquentes, ſi ſapiẽtem eum vocemus, veriſsimè loquemur, quod tamẽ in ipſius corpus non cadit. Item ſi ipſum aſſeramus mortuum in ſepulchro iacuiſſe, dicemus quod nec diuinitati, nec animæ ipſius tribui poteſt: nec propterea tamen compoſitum diſſoluitur.

SED inter cætera, iſti in Chriſto perſonali vnioni hoc proprium eſſe dixi, quòd in ipſo duæ integræ, ſiue perfectæ naturæ perſonaliter coaluerunt: in homine verò non item. Nec enim vel anima, vel corpus eſt natura humana, ſed altera tantùm humanæ naturæ pars: Chriſti verò perſonã λόγος & natura humana integra conſtituunt. Itaque homo vnico hominis concreto nomine vocatur: Chriſtus autem duplici, nẽpe & Dei & hominis, adeo quidem vt, quoniã vnus eſt ex perfectis illis duabus naturis conſtans, idcirco, etiam quum ex altera tantùm natura, vel Deus vel homo no-

minatur,

minatur,totum Chriſti ὑφιςάμενον intelligatur: ac proinde incommunicabilia abſtractarũ naturarũ attributa de toto ipſo,quanuis ex altera tantùm natura denominato, viciſsim dicãtur. Sic Chriſtum Deum natum eſſe & mortuum dicimus,quoniam iſte idem,& vnus qui Deus eſt,etiam homo eſt: & Chriſtum hominẽ fuiſſe ante Abrahamum, quia ſic homo eſt,vt ſit æternus Deus. Chriſti verò diuinitatem natã aut mortuam, vel humanitatem ante Abrahamũ fuiſſe,nemo Orthodoxus dixerit.Cúrnam *id verò? quoniam abſtracta* nomina diuinitatis *& humanitatis ipſum* ὑφιςάμενον non declarant,ſed tantùm eius partes:vt ſemper aliud ſit diuinitas quàm humanitas, quo fit vt quæ humanitatis ſunt diuinitati, vel quæ diuinitatis, humanitati tribui non poſsint, quod Eutyches ignorauit. Quæ verò ſunt hominis Deo, & quæ Dei homini meritò tribuuntur, quoniam vnus & idem eſt Deus & homo, vt nunquam ſit alius λόγος quàm hic homo, nec alius hic homo quàm λόγος, quod Neſtorius vel neſciuit,vel malitioſè diſsimulauit.

HAEC verò quum, & iam olim toties ab omnibus Orthodoxis, & à noſtris nuper tam perſpicuè ſint inculcata, quis non miretur D. Andream rurſus ad infelicem hunc ſcopulum naufragium facere? Expendamus tamen quid reſpondeat.

Retorqvet in me hanc ipſam ſimilitudinem, vt ſuam perſonalis vnionis definitionem ſtabiliat, de qua re ſuo loco dicemus.

Svbiicit poſtea, *Intelligit Beza Chriſtum totum, & non dimidium adeſſe, quia neque ab homine Chriſto, neque à nobis ſeparatur* λόγος, *qui quaſi intermedius eſt inter hominem Chriſtum in cælo, & nos in terris exiſtentes* (impropria locutio pro inter humanam Chriſti naturam) *quod in rei veritate nihil aliud eſt dicere, quàm* λόγον *tantum adeſſe, qui tamen quum ſit infinitæ eſſentiæ alicubi in cælo habeat ſibi coniunctam humanitatẽ* (cõcedo ſi λόγον in abſtracto pro diuina Chriſti natura accipias: ſin verò in concreto, nego, quia quum vnus ſit Chriſtus, adeſt etiam homo quatenus eſt Deus.) *quæ nihil nobiſcum agat, quo nomine ſibi ipſi & aliis imponit.* Bona verba, D. Andrea. nec enim impoſtorem me eſſe deprehendes. Videſis potius quomodo calumniatorem hîc non agas. Humanitatem enim Chriſti per quam cum noſtro Mediatore cohæremus, & ex cuius plenitudine ſcaturit quicquid beatudinis habemus, demonſtra ſi potes vbi dixerim nobiſcum nihil agere. Sin minus, iniuriam inſignem mihi abs te fieri dico quam tamen ex animo condono.

ADDIT D. Andreas, *Beza de toto Chriſto interrogatus, reſpondet, λόγον, neque à carne Chriſti neque à nobis ſeparatum eſſe. atqui non quæritur an λόγος adſit, de quo nemo dubitat, ſed hoc potius quæritur, quum totus Chriſtus non tantùm ſit λόγος ſed etiam homo, num ſolum λόγος adſit, an verò etiam homo: Chriſtus videlicet totus ſecundum vtrãque naturam. Hic D. Beza nihil aliud reſpondet, quàm hominem Chriſtum ea ratione adeſſe, quia λόγος qui adeſt, non ſit ſeparatus à carne Chriſti quæ in cælo eſt.* Hoceine verò eſt bona fide agere? ego iis ipſis verbis quæ ex meo libello deprompſit, duo planè & perſpicuè dixi, quę, ſi poteſt, refellat, ſin minus, det gloriam Deo, & veritati acquieſcat. Vnum eſt, Etiam ſi humanitas non ſit vbique, ſed certo tantùm loco, non conſequi tamen hunc hominē non eſſe vbique, ac proinde diuidi perſonam, quoniam qui alteram tantùm naturam præſentem dicit, eam tamen ab ea quæ eſt nobis abſens idcirco non ſeparat. Alterum, quanuis à nobis in terra verſantibus nunc abſit caro Chriſti in cælos ablata: tamen quum hic idē qui homo eſt, ſit vnus cum Verbo qui nobis adeſt, Chriſtum, quanuis non ſecūdum naturam vtranque, tamen ſecundum inſeparabilem perſonæ vnitatem, totum præſentem à nobis poſsideri. Hæc mea ſunt, quæ refelli prius oportuit, quàm tam ineptè locutus eſſe dicerer, quaſi de cæpe interrogatus de alliis pag. 16

reſponderim.

Vт autem ſemel de his tranſigam: Latum eſſe diſcrimen dico inter тотvs & тотvм, inter ALIVS & ALIVD, quoniam illa de perſona, iſta de naturis perſonam conſtituentibus dicuntur. Aliud eſt λόγος: aliud eſt aſſumptus homo, contra Eutychetem, quoniam inconfuſis in perſonali vnione manentibus & naturis ipſis & earum proprietatibus, aliud eſſe conſequitur λόγον natura diuina præditum, aliud hominem humana natura conſtantem. Alius tamen non eſt λόγος, alius homo ille aſſumptus, quoniam vnus hic eſt Deus & homo contrà quàm credidit Neſtorius.

Тотvs Chriſtus, id eſt Chriſtus perſonaliter conſideratus, Deus eſt, itémque Totus Chriſtus homo eſt, ſimili ratione. Totum autem Chriſti Deus non eſt, nec totum Chriſti, homo eſt.

SIc verum eſt Totum Chriſtum eſſe vbique, ea quam ſæpe iam repetii ratione, nempe totum Chriſtum non eſſe vbique, quoniam hoc vtrumque de toto ὑφισταμένῳ verè dicitur. Totum autem Chriſti vbique eſſe, ſiue

ſiue, vt vos loquimini, Chriſtum eſſe vbique ſecundum vtramque naturam, nemo vnquam niſi Eutychianus dixit, quoniam Chriſtus vnica natura non conſtat.

Svbiicit præterea D. Andreas, *Si non alia ratione dicitur homo Chriſtus adeſſe, cur non eadem ratione nos verè dicere poſſemus Petrum nobis quoque adeſſe, quia & λόγος à Petro non eſt ſeparatus, vbicunque ſit in cælo. Quod igitur diſcrimen inter Chriſtum & Petrum?* pag. 16.

Hic autẽ cogor illuſtriſſ. Princeps, D. Andream obteſtari per Chriſti ipſius de quo agimus nomen, vt & ſui & eorum qui ab ipſo pendent maiorem habeat rationem. *Non eſt,* inquit, *λόγος à Petro ſeparatus.* Si ſeparationem opponit præſentiæ, concedo. Sed quorſum hoc? argumentor enim non à præſentia ſed ab vnione ſubſtantiæ. Sin ſeparationem opponit vnioni, vt eum facere oportuit, an negare audebit τὸν λόγον quantumuis omnia ſunt ei præſentia, tamen ab omnibus rebus creatis præterquam ab aſſumpta illa carne non modò diſtinctum, ſed & ſeparatiſsimum eſſe? Ambulem D. Andreæ proximus, aut ipſi aſsideam, an propterea

pterea ipſe & ego non erimus duo ſubſtantialiter ſeparata? Sic autem ſum argumentatus λόγος & homo ab eo aſſumptus ſunt vnũ ὑφιστάμενον, & λόγος vbique eſt, ergò & homo ille non quidem quâ homo eſt, ſed quâ in λόγῳ præſente ſuſtentatur in vnitatem perſonæ, vbique eſt. Iam videat an idem poſsit de Petro vel alia vlla re dici: & quum non poſsit, argûmentationis ſuæ vitium manifeſtum agnoſcat. Nõ poteſt autem, quia λόγος & Petrus vnum ὑφιστάμενον non conſtituunt, ſed duæ ſunt planè ſeparatiſsimæ hypoſtaſes. Itaque ſic potius argumentari oportuit: Petrus & λόγος ſunt duo ὑφιστάμενα ſeparata, ergo non ſequitur, etiam ſi omnia ſunt τῷ λόγῳ præſentia, vbicunque eſt λόγος, (eſt autem vbique) ibi eſſe Petrum. Habet iam D. Andreas diſcrimen illud Petri & Chriſti tantopere requiſitum, quod ſanè mirũm quum tã ſit manifeſtum, tandiu ab eo animaduerti non potuiſſe.

5 QVINTO loco, protuli Chalcedonenſis Synodi decretum, quod à D. Brentio nec bona fide deſcriptum, nec commodè diſtinctum, nec rectè fuiſſe explicatum, optimis, vt arbitror, rationibus probaui.

QVID autem ad hæc D. Andreas? certè nihil præter illa quę nunc à me ſunt rurſus refutata: quæ quum ita ſe habeant, colligo

go & vnionem in genere cum præſentia perperam à Brentio confundi, & hypoſtaticam vnionem peſsimè ab eo non ex ſubſtantiæ, ſed ex proprietatum ἐνεργείᾳ & communicatione æſtimari, adeò vt & perſonam cum Neſtorio diuidat, & naturarum proprietates cum Eutychete confundat.

IDEO D. Andreas, quanuis & ipſe ad ἐνέργειαν totus reſpiciens, tamen ratione quâdam, ſi non reipſa, ſaltem verbis diuerſa, myſterium hypoſtaticæ vnionis conatus eſt explicare, quam etiam expendere neceſſe eſt.

PRIMVM teſtatur ſe credere humanitatẽ illam ſimul exiſtere cœpiſſe, & aſſumptam fuiſſe. Hoc ſanè qui negat, Chriſtum negat fuiſſe conceptum ex Spiritu ſancto, ac proinde à recta fide aberrat. Neque verò hâc de re inter nos, quod ſciã, cõtrouertitur, ſed hoc quæritur, quid ſit hypoſtaticè aſſumere, ſiue ſeſe vnire. Hac igitur prefatione nihil ſanè opus erat, niſi hoc modo perſuadere voluiſſet ſeſe Neſtorianum non eſſe, vt qui Mariam θεοτόκον eſſe fateatur. Sed quam rectè θεοτόκου nomen explicet mox viderimus. pag. 6

QVAERITVR, inquit, an hac ſit nuda tantùm appellatio qua Chriſtus quatenus homo, & Filius Altiſsimi dicitur, an verò res aliqua ſubſit, propter quam dicatur. Reſpondet Beza, cau- pag. 7

ſam eſſe quia λόγος humanam naturam ſibi fecerit propriam.

D i c i t aliquid, ſed non omnia D. Andreas quod non ignorat eſſe falſi ſpeciem. Quàm multa enim hîc pręteriit? Ego ſic ſcripſi, *Ea eſt perſonalis vnio in qua aſſumens natura eam quam aſſumit ſuam propriam facit: ita tamen vt ſaluis proprietatibus vnum ὑφιστάμενον conſtituatur.*

D e i n d e oſtendi quomodo hæc demũ vna ſpecies vnionis, & Neſtorianæ ſeparationi & Eutychianæ confuſioni opponatur. Cedo igitur cur altera tantùm parte meæ definitionis arrepta alteram præteriit?

A s s e n t i t v r autem D. Andreas, in hypoſtatica vnione naturam aſſumptam fieri aſſumentis propriam. *Sed hoc eſt*, inquit, *ignotum per æque ignotum explicare.* Nempe quoniam explicationem ſciens ac prudens hoc quidem loco vbi maximè additam oportuit, omiſit. Quid enim planius eſt his verbis, Vniri naturam perſonaliter quæ ita fit alterius propria, vt cum ea abſque confuſione vlla vel eſſentię vel proprietatum, vnicum ὑφιστάμενον conſtituat?

H a n c

HANC autem loquendi formulam ab omnibus Orthodoxis ſcriptoribus & Synodo vtraque Epheſina & Chalcedonenſi, ex Scripturis commodè explicatis deſumptam bene eſt quòd nunc tandem D. Andreas approbat potius quàm portentoſas illas κενοφωνίας, quibus & Brentiani libri & ipſius Theſes ac earum defenſiones ſcatent, niſi ſiniſtra & planè falſa explicatione ipſam euerteret. Eſt autem huiuſmodi.

IMAGINATVR duplicem humanæ in *Chriſto naturæ gloriam*. *Vnam qua ſibi eſt beatus*, & *inter omnes ſanctos excellit ex* donorum communicatione: alteram qua nobis eſt beatus, propter quam etiam vocetur Immanuel, id eſt, nobiſcum Deus, quia videlicet λόγος ita ſibi vniuerit humanam naturam, vt ſine ea nihil, ſed per illam & cum illa omnia agat, quam in conſortium adminiſtrationis cæli & terræ aſſumpſit. Nec alia eſt hypoſtaticæ vnionis explicatio, ſi D. Andreæ credimus, cui probandæ applicat articulum de Chriſti ſeſſione ad dexteram Patris, & quæcunque paſsim in Scripturis de Verbi incarnati præſtantia commemorantur, adeò vt ſedere ad dexteram Patris, & hypoſtaticè vniri diuinam & humanam naturam, & aſſumptam naturam humanam factam eſſe aſſumentis di-

uinæ propriam, vnum idémque declaret. In eo tamen non penitus ſibi conſtat quòd dexteram patris modò vult eſſe ipſum λόγον, modò maieſtatem illam & potentiam omnem, quam λόγος in carnem aſſumptam contulerit, vt ſine ea nihil agat, & per eam omnia efficiat.

HAEC eſt, vt arbitror, ipſius ſententia, non minus certè falſa, quàm abſurda. Primùm enim (vt futile ac ſanè etiam falſam illam diſtinctionē omittam ſecundùm quam Chriſtus ſibi vel nobis ſit beatus) ſi verùm eſt quod ſcribit, eadem erit res ipſa, atque ipſius effectum, quod non minus ridiculum eſt quàm ſi dicerem, ſolis exortum & mundi illuſtrationem, ſiue noctis depulſionem idē declarare. Meminerit igitur D. Andreas, non quæ ſit hypoſtaticæ vnionis vis & ἐνέργεια, quam nos ineffabilem eſſe vltrò confitemur, ſed quid ſit ipſa hypoſtatica vnio à nobis quæri.

SECVNDO, quis non videt fucum nobis fieri, quum participationem donorum ab iſta Maieſtate diſtinguit? Maieſtas enim iſta, quomodocunque tandem eam definiat, quid aliud fuerit, quam donum à diuinitate in aſſumptam humanam naturam collatum?

TERTIO, ſi hac demum ratione homo iſte aſſumptus Deus eſt, quia verbum nihil ſine

ſine ipſo, ſed per ipſum omnia agat, quis ita cæcus eſt, vt non videat hunc hominem conſtitui tantùm θεοφόρον, ſiue Deum per accidens, ac proinde Neſtorium hoc dogmate ab inferis reuocari?

QVARTO, quum inficiari non poſsit Deum per ſanctos ſuos agere penè infinita, & ſanctos ipſos eſſe ſuo modo Dei συνεργοὺς, quò tandem cecidit D. Andreas cum noua iſta & inaudita ac prorſus intolerabili hypoſtaticæ vnionis explicatione? Eò nimirum vt *non minus quàm ipſius præceptor* D. Brentius dicere cogatur Chriſtum ſecundum eā ipſam maieſtatem quam ipſius carni affingit, & qua vna illum pro Deo agnoſcit, à reliquis hominibus ſecundum plus & minus differre: quoniam videlicet Deus per alios quidem homines nonnulla, per hunc verò omnia, & ſine illis quidem aliquid, ſine iſto verò nihil agat.

QVINTO, ſi non ex Dei verbo, ſaltem ex communi vſu, proprietatem rei ipſius ab vſu diſtinguere oportuit. Quum enim naturam vnam alterius propriam factam eſſe dicimus, de naturarū ac ſubſtantiarum ipſarū propria & reali vnione agimus, non de attributorum communicatione: ideóque ſicut ὁ λόγος carnem ipſam, dicitur ſibi propriam effeciſſe, ſic ipſius verbi dicitur caro propria effecta, non

D.i.

vt exiſteret Deus humanis proprietatibus in ſeſe receptis exinanitus, vel homo diuina, vt hi loquũtur, omni maieſtate in ſeſe ornatus, (nam hoc pacto, nec ille Deus neque hic homo eſſet) ſed vt vnus & idem ſecundùm diuinam naturam verus Deus, & ſecundùm humanam verus homo ſit, tum ſubſtantia, tum proprietatibus manentibus inconfuſis. Et hic eſt illorum perpetuus error D. Andreæ, quòd Deum hominem in diuinum hominem transformet.

Sexto, ſi non ex inhabitatione ὀσίας, ſed ex huius inhabitationis ἐνεργείᾳ hypoſtaticam vnionem definire oportet, duplex D. Andreæ afferenda eſt ratio quam nuſquam inueniet. Vna, cur hæc vnio hypoſtatica vocetur. Scit enim hypoſtaſis nomine illud ipſum quod ſubſiſtit ſignificari. Altera cur vnus Chriſtus ſecundùm diuinam naturam Patri, ſecundùm humanam nobis, ὁμοούσιος dicatur. Neque enim nomen οὐσίας aliter in vna quàm in altera natura explicari poteſt aut debet: & quanuis omnia ſint in Deo re ipſa οὐσιώδη, non poteſt tamen carnem Chriſti quacunque tandem maieſtate ipſam exornet & quantuncunque ὁ λόγος cum ipſa, & per ipſam omnia agat, idcirco Patri ὁμοούσιον vocare. Ex quibus conſequitur, illud ipſum quod in hypoſtatica vnione proprium eſt,

nempe

nẽpe ſubſtantiarũ ipſarum ad vnũ ὑφιςάμενον conſtituendum, abſque vlla tranſmutatione vel confuſione, concurſum ab eo prætermitti.

SEPTIMO, ſi hypoſtatica vnio & ſeſſio ad dexteram Patris idem declararet, illud nempe conſequeretur, humanam naturam eo ipſo momento quo aſſumpta eſt fuiſſe ad dexteram Patris collocatam, quod illi quidem vbique affirmant, nos autem falſiſsimum eſſe confirmamus ex Paulo & ratione ipſa. Oportuit enim, inquit ille, Chriſtum pati, & ita introire in gloriam Patris. Quòd ſi excipiant, noſtri reſpectu, non autem ipſius Chriſti, hæc dici, videant quàm prope abſint à Marcionitarum delirio. Sin verò ad fictitiam illam formam ſerui transfugere (veram enim illam minimè inficiamur) & formam illam Dei ſecundùm quam filius eſt Patri ὁμοούσιος, in illam participationem omnimaieſtatis transformare malint, tum ego ipſis aſſentior, quum quæ contra hæc commẽta ex verbi Dei & Orthodoxorum omnium perpetuo conſenſu in libello meo diſſerui, refutauerint.

Ex his autem intelligi facilè poteſt, cur hoc illorum dogma, vt in Eccleſia Dei inauditum, repudiemus, quantáque nos iniuria

afficiant, quum proinde nobiſcum agunt, acſi ſummam illam Chriſti capitis noſtri maieſtatem ac gloriam inficiaremur, & articulum illum conſolationis plenum de Chriſti ad dexteram Patris ſeſſione expungeremus. Vtri enim, obſecro, Chriſtũ Deitate ſua ſpoliant, an qui illum duntaxat diuiniſſimum, an verò qui Deum Patri ὁμοούσιον eſſe prędicant, quoniam vnus & idem ſit ſubſtantialiter Deus & homo?

pag. 9 OCTAVO, videat, obſecro, D. Andreas, quouſq; prouehatur. *Quemadmodum*, inquit, *Deus Pater non ſine λόγῳ, ſed per λόγον omnia creauit, ita λόγος per hominem quem aſſumpſit, naturam in genere humano collapſam recreauit ac reſtituit.* Quorſum hæc verò? nẽpe vt ſuã vnionis hypoſtaticę explicationem nobis approbet, qua fiat, vt ſicut Pater cum λόγῳ, & per λόγον omnia condidit, ita etiam λόγος ſine hac humana natura nihil, ſed cum illa & per illam omnia agat. At enim ſi hoc argumẽtũ verũ eſt, quid obſtabit quominus Patrem quoque cũ Filio hypoſtaticè vnitum eſſe dicat? quod tamen quàm falſum & quàm ridiculum ſit, non ignorat.

pag. 9 *AT enim*, inquit, *λόγος non ita propriam ſibi fecit humanam naturam, vt eam tantùm poſſideat, aut nihil communicet, ſed ita fecit ſibi propriam, vt*

in eam

in eam omnem ſuam maieſtatem conferret: conce do quod dicit,,imò etiam longè plus largior. Dico enim τὸν λόγον non modò omnem ſuam maieſtatem, vtpote quæ ſit ab ipſo inſeparabilis,ſed etiam ſeipſum illi aſſumptæ naturæ vniuiſſe, vt iam non ſit hic homo diuiniſsimus tantùm,ſed etiam verè & ſubſtantialiter Deus.Qua igitur in re diſſentimus?in hac nimirum, quòd ipſe hanc humanam naturam vult in ſeſe diuinam omnimaieſtatem recepiſſe, quod planè eſt, partim Neſtorianum, partim Eutychianum. Ego verò hanc quidē humanam naturam fatear in ſeſe ſupra ipſos etiam Angelos, & omne nomen ineffabiliter eminere,propter vnitæ cum ea diuinitatis ἐνέργειαν: hunc autem hominem ſecundum alteram naturam à qua ſic aſſumptus eſt vt aliud quidem ſit diuinitas, aliud humanitas, non autem alius Deus quàm homo verè & ſubſtantialiter illum vnigenitum Deum de Deo eſſe profitear.

IAM accedo ad ſimilitudinem corporis & animæ, quam ipſe ſic probat vt etiam in me retorqueat.

PRIMVM igitur quòd eam negat eſſe perſonalem, in eo dico ipſum planè hallucinari. Etſi enim verum eſt quod nunquam etiam diſsimulaui,magnum eſſe inter hāc ſi-

militudinem & perſonalem Chriſti vnionem diſcrimen, cúm in aliis multis, tum verò maximè quatenus anima eſt forma corporis, Verbum autem non eſſe formam in materia rectè aduerſus Apollinarem conſtitutum eſt: & ad vnam quidem humanā naturam conſtituendam concurrunt corpus & anima, in Chriſto verò diuinitas & humanitas non vnam naturam (vt exiſtimabat Eutyches) ſed vnam perſonam conſtituunt: tamen hoc non impedit quominus hæc vnio alio reſpectu verè ſit ac dicatur hypoſtatica, quatenus videlicet vtrobique, nempe & ex hoc corpore & hac anima, exempli cauſa, conſtituitur hæc perſona, Petrus: & ex Verbo & aſſumpta illa humana natura, hæc perſona, Chriſtus.

SIC autem colligit. *Sicut anima per corpus agit omnia & ſine corpore nihil, ita λόγος per naturam aſſumptam omnia efficit, & ſine ea nihil agit: interim manet diſsimilitudo naturarum cum vtriuſque proprietatibus qua per ſe conſiderantur, quarum tamen diſsimilitudo eſſentiali vnioni nihil derogat.*

PRIMVM igitur etiam ſi totum hoc cōcederem, quorſum ad id de quo quæritur? Neque enim quæ ſit hypoſtaticę vnionis ἐνεργεία ſed quid ſit ipſa hypoſtatica vnio quæritur, qua videlicet ipſæ res ad vnum ὑφιστάμενον cō

ſtituen-

ſtituendum abſque vlla confuſione coniunguntur.

DEINDE quàm aptè ex iſta ἐνεργείᾳ hypoſtaticam vnionẽ deſcribit? Omnia efficit Pater per Filium, & nihil ſine ipſo à Patre factum eſt, an ideò Pater & Filius ſunt hypoſtaticè vniti? Sit faber quiſpiam qui ſine certo aliquo inſtrumento nihil agat, & per id agat quicquid agit, an propterea hoc inſtrumentum & fabrum iſtum dicemus hypoſtaticè vnitos? Sunt igitur iſta planè futilia, & *indigna quæ refutentur.*

TERTIO, quis non putet ipſũ præuaricari? *Anima*, inquit, *agit per corpus, quicquid agit.* Ergò, inquam ego, per corpus intelligit. An verò propterea corpus dicemus intelligere? Minimè profectò. Hominem tamen intelligentem vocamus, at non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm animam duntaxat. Vbi igitur iſta omnimaieſtas realiter non grammaticè (vt D. Brentius & D. Andreas loquuntur) in carnem Chriſti effuſa? vbi iſta forma Dei, id eſt perfecta ἐξουσίας exæquatio quam in carne Chriſti imaginantur? cur non verò potius ſic cum ipſa veritate loquuntur? Chriſtus eſt vnigenitus ille Deus vbique totus, vbiq; præſens, at nõ ſecundùm humanam ſed ſecũdùm diuinam naturam, quoniam ſic vnus eſt & i-

dem hypoſtaticè Deus & homo, vt diuina natura non ſit humana, nec humana diuina: ſicut Petrus eſt animal intelligens, non tamen ſecundùm corpus ſed ſecundùm animam, quia corpus & anima Petri ſic ſunt hypoſtaticè vnus & idem Petrus, vt anima non ſit corpus, nec corpus itidem anima. Hæc eſt ſanè recta de his rebus loquendi ratio, quam ſi ſequentur, definita erit controuerſia, & omnes ſimul gloriam dabimus Deo.

QVARTO, quî fit vt non videat quouſque prouehatur ſic loquendo? Dum intelligit & vult quippiam Petri anima, vnica eſt hæc operatio, quoniam videlicet vnica eſt hęc natura, & Petri corpore ſic vtitur anima, tum in intelligendo, tum in volendo, vt patiatur corpus, non agat. Quòd ſi eadem eſt ratio diuinæ naturæ per aſſumptã humanã agentis, quomodo Eutychianorum & Monothelitarum dogma effugiet? Sin autẽ ſicut ſunt duæ in Christo naturæ, ſic duas eiuſdem actiones eſſe cum Orthodoxis cõfitetur, cur non hac in re conſtituit Petri & Chriſti diſcrimen, non autem in donorum participatione, vel omnimaieſtatis effuſione? Res autem ita ſe habet. Anima in ſuis propriis & intrinſecis actionibus, cuiuſmodi ſunt Intelligere & Velle, ſic vtitur corporeis organis, vt ipſa quidem agat, illa verò tantùm patiantur, ac proinde corpus dicatur harum

rum actionum reſpectu,paſsiuum duntaxat animæ inſtrumentum.Sed inter hoc inſtrumentum & ſecurim,qua,exempli cauſa,faber quiſpiam vtitur,magnum eſt diſcrimen, quoniam hoc eſt extrinſecum & aduentitium inſtrumentum, illud verò eſt proprium & coniunctum, adeò quidẽ vt hæc anima & hoc corpus ſint vna hypoſtaſis,quod de fabro & eius ſecuri dici non poteſt.Et hoc eſt quod ſignificarũt Patres,quum aſſumptam naturam dicerent in hypoſtatica Chriſti vnione fieri aſſumentis propriam, vt ſit aliud quidem & aliud in vno *ὑφισταμένῳ*, *alius verò & alius* non item. Cæterùm iſta animę & corporis vnio,ſi cum duarum in Chriſto naturarum vnione comparetur,hactenus conueniet,quatenus vtrinque hypoſtaticè conſtituitur perſona. Sed multiplex erit diſcrimen.

PRIMVM enim (vt cætera omittã) quum λόγος totam humanam naturam aſſumpſerit, quæ & ipſa intrinſecum habet ſui motus principium, conſequitur humanam hanc naturam aſſumptam, ſic à Verbo moueri, vt & ipſa ſeſe intrinſeco ſuo principio moueat, ac proinde ſic agatur vt etiã agat: qua in re poſita eſt ſumma illa aſſũpti hominis obediẽtia voluntaria, Rom.5. qua iuſti omnes cõſtituimur,ſicut vnius hominis voluntaria cõtumacia peccatũ & mortem in mundum inuexit.Deinde,quum humanam

illam naturam ea conditione aſſumpſerit λό-γος, vt priuſquam illam ſupra omne nomen e-ueheret, neceſſe eſſet eam fieri maledictum, vt eius ſatisfactione tolleretur mundi peccatum, ſiue vt prius fieret victima pro peccatis no-ſtris, quàm nos efficeremur iuſtitia Dei in illo, oportuit λόγον quamuis hypoſtaticè, id eſt, ſe-cundùm ſeipſum cum illo homine ab ipſo cõ-ceptionis momento vnitum, tamen quod ad ἐνέργειαν attinet, certis gradibus ſeſe in illam veluti inſinuare. Alioqui enim carnis infirmi-tatem ſua potentia abſorpſiſſet, ac proinde pœ-nas noſtris peccatis debitas caro illa ſubire nõ potuiſſet, & nos in ira Dei manſiſſemus. Re-uera igitur Chriſtus non quatenus Deus eſt & homo, ſed ſecundùm humanam naturam dun-taxat, quæ certis gradibus ſupra omne nomen euecta eſt, in ſapientia, ſcientia, maieſtate, & gloria profecit, ac proinde non eſt ad dexte-ram Dei Patris, niſi poſt certamen collocatus. Hinc autem conſequitur λόγον, contra quàm putat D. Andreas, non ſtatim quicquid egit, per naturam humanam egiſſe, ſiue non ſtatim plenè in humana vnita ſuam totam ἐνέργειαν exeruiſſe. Ignorauit enim quędam Chriſtus ſe-cundùm humanam naturam quæ ſecundùm diuinam ignorare non potuit, quum in Deum ignorantia non cadat: quod ſanè miror D. An-dreæ mirabilius videri, quàm quum dicimus, quod ipſe negare non poteſt, immortalitatem,

quæ

quæ & ipſa non minus propria eſt humanæ naturæ, quàm omniſcientia, non ſtatim fuiſſe aſſumptæ carni communicatam. Præterea illud quoque non eſt prætermittendum, illam ipſam ἐνέργειαν, quæ Chriſti carni fuit ante triumphum communicata, fuiſſe extremo illo exinanitionis tempore velut abruptam, quod veteres orthodoxi Patres ſignificarunt, quum diuinitatem in Chriſto ad tempus quieuiſſe dicerent. Alioqui enim D. Andreas, hunc nodum nobis, ſi poteſt, explicet, quomodo Chriſti corpus eodémque vno momẽto mortuũ in ſepulcro iacuerit, *& tamen* cum Verbo, quod ipſa vita eſt, hypoſtaticè vnitum fuerit. Dicam etiam aliquid amplius: quanuis carnem illam aſſumptam fatear ſupra omnes res creatas inenarrabiliter eſſe eue&tam, & quatenus in eandem perſonam aſſumpta eſt, vnam eſſe Verbi & aſſumptæ carnis, id eſt, vnius Chriſti perſonæ gloriam, quam ob cauſam etiam à nobis totus Chriſtus adoratur: tamen finitum infinito nunquam neque οὐσίᾳ, neque ἐξουσίᾳ exæquatum eſſe affirmo. Stat enim illud Pauli, Caput Chriſti Deus: nec ſanè Chriſtus Mediator noſter eſſet ſi ſecundùm vtramque naturam Patri, vel ſecundùm humanam ſuæ diuinæ naturę eſſet æqualis.

QVORSVM autem hæc omnia? nempe vt tria euincã. Vnũ quod de ἐνεργείᾳ D. Andreas

diſſerit,perperam ab eo accommodari ad proprietatem hypoſtaticæ vnionis explicandam. Alterum,in iſtius ſimilitudinis Athanaſianæ expoſitione inſignes errores ab eo committi, quoniam, quod de rerum ipſarum vnione dictum eſt ad ἐνέργειαν transfert. Tertium ſeſsionem ad dexteram patris,ſiue plenam imperii & gloriæ communicationem, perperam ab eo cum hypoſtatica vnione, ſiue Verbi incarnatione, nulla etiam ratione temporum habita, confundi.

IAM ad aliam eiuſdem ſimilitudinis applicationem accedo: *Sicut*, inquit, *dicimus de toto homine, vbicunque eſt corpus, ibi eſt anima: & viciſsim, vbicunque eſt anima, ibi eſt corpus propter eſſentialem vnionem: ita etiam propter perſonalem vnionem recte dicimus, vbicunque eſt λόγος, ibi etiam eſt homo in vnitatem perſonæ aſſumptus, & viciſsim, vbicunque eſt homo Chriſtus, ibi etiã eſt λόγος, qui hominẽ aſſumpſit, manente proprietate humanæ naturæ, quæ pro ratione gloriæ in cælo eſſe dicitur.*

AD hoc verò reſpõdeo quod millies in meo libello repetii, minimè nos inficiari vbicũque eſt λόγος, ibi etiam eſſe hominẽ in vnitate perſonæ aſſumptum, ac proinde vbique eſſe totũ Chriſtum, ſi perſonaliter, id eſt, quatenus vnus eſt conſideretur. Qua igitur in re diſſentimus? in eo videlicet, quòd non tantùm Chriſtũ hominem

minem (qui etiam Deus eſt, non in ſeſe, ſed in λόγῳ ſibi hypoſtaticè vnito) vbique eſſe vult. quod vltrò concedimus, ne perſonam diuidamus: ſed etiam humanam naturam eſſe vbique, quod nos fortiter negamus, & vt Eutychianum execramur. Cúrnam id verò? nempe quia Deus quidem ille homo eſt propter hypoſtaticam vnionem: humana autem illa natura, non eſt diuina, nec diuina eſt humana: ſiue illas in ſeſe, ſiue coniunctim ſpectes: quoniam non ſunt confuſæ, ſed ſalua & inconfuſa manente vtraque cum ſuis proprietatibus, ſunt in vnum ὑφ.ςάμενον vnitæ. At enim, dicet, vbicunque eſt anima, ibi etiam corpus eſt, & contrà. Quid ſi verò negem, vbicunque corpus eſt, ibi quoque eſſe animam ipſam? Nec enim ignorat, non deeſſe primariæ eruditionis philoſophos, qui animæ certam ſedem ſic conſtituunt, vt eam illic demum eſſe velint, quanuis ipſius virtus per omnia membra permeet, non aliter quàm immotum ſolis corpus diſsitas mundi partes illuſtrat. Sed hac de re illos ſinamus diſputare.

VT autem D. Andreæ quod petit concedam, nempe totã eſſe animã in qualibet corporis parte, quis tamen ſani iudicii homo concedet, quia duabus rebus æqualiter patentibus efficitur vt quocũque loco vna eſt, ibi quoque ſit altera, idem etiam conſequi, ſi res inæquales

inter ſe coniunganturꝰ aut igitur finitum & circunſcriptum ſiue in ſeſe, ſiue cum quocunque alio quocunque modo coniunctum ſeu vnitum, demonſtret æquale eſſe infinito quîcum cohæret: aut argumentationis ſuę vitium animaduertat & emendet.

Et hæc quidem hactenus, aduerſus ea quæ & D. Brentium & D. Andream partim ex Neſtorii, partim ex Eutychetis lacunis hauſiſſe dixi, & nunc etiam dico: quibus ſi quam facio iniuriam, coram legitimo Eccleſiæ iudicio ſiſtere me non grauabor, Illuſtriſsime Princeps, & culpam omnē non tantùm agnoſcere, ſed etiam impoſitam pœnam luere.

NVNC ſupereſt vt quædam in nos non verè ſcripta diluam.

Pag. 7. *Non contendemus,* inquit D. Andreas *ſiue dicatur* IN VNAM *ſiue* AD VNAM *hypoſtaſim duas naturas conuenire.* Quorſum id verò? Neque enim hac de re quicquam dixi. Sed hoc dixi, ambiguam eſſe Brentianam iſtam locutionem, DVAS naturas conuenire in vna Chriſti perſona, quoniam VNA pro SOLA accipi poteſt, ac proinde potius dicendum ſit duas naturas ad vnam hypoſtaſim, ſiue perſonam conſtituendam in Chriſto conuenire.

Pag. 7, & deinceps quum perinde mecum agit D. Andreas, acſi hypoſtaticā vnionem

nem ſimpliciter definiuiſſem eam eſſe, qua fiat vt aſſumens natura aſſumptam ſibi propriam efficiat, mihi iniuriam facit, vt qui prætermittat additam à me huius proprietatis explicationem, qua nimirum fiat, vt duæ naturæ vnum ὑφιςάμενον conſtituant.

Pag. 15 & 16 duo mihi affingit: vnum, quòd dicam λόγον, tantùm adeſſe: alterum quòd ſentiam humanitatem Chriſti nihil nobiſcum agere, quibus calumniis ſuo loco reſpõdi. Interim hoc teſtor, quod & corde credo, & millies in meo libello inculcaui, quum vnus ſit Chriſtus Deus & homo, neceſſariò fatẽdum eſſe, totum Chriſtum nobis adeſſe. Et rurſus, quia Chriſti caro ſit à nobis in cælos ablata, fatendũ eſſe TOTVM CHRISTI nobis non adeſſe, quæ quomodo inter ſe nõ pugnent ſuo loco declarauimus. Humanitatem autem Chriſti nobiſcum nihil agere oſtendat D. Andreas vbi ſcripſerim, vel fratrem calumniari deſinat. Nam ſi fortè hoc ex eo colligit, quòd carnem illam à nobis tanto nunc ſpatio abeſſe dicam, quanto abſunt ſummi cęli à terra, diſcat ſaltem ex illo Centurione aliter argumentari, qui abſentis quoque ſecundùm carnem Chriſti virtutem credidit, & reipſa eſt expertus.

PAG. 18 dicit communicationem maieſtatis

Verbi cum aſſumpta carne, non eſſe verbalem aut grammaticam, ſed etiam realem quaſi videlicet contrarium doceamus. Ego verò ſic reſpondeo. Si reale opponit fictitio & vano, ſiue illi quod reipſa non eſt: aſſentior realem eſſe omnem ἰδιωμάτων κοινωνίαν, & omnia illa Marcionitarum deliria prorſus execror. Item ſi Chriſtus perſonaliter, ſiue quatenus vnum eſt ὑφιστάμενον conſideretur, idem rurſus quod ſupra profiteor, neque nos vnquam aliter docuiſſe D. Andreas vel quiſquam alius probabit. Sin verò naturæ ipſæ conſiderantur, tum ego affirmo quoties, vel diuina humanis, vel diuinis humana propter vnitatem perſonæ attribuuntur, veluti ſi vel Deum eſſe mortuum, vel carnem Chriſti deſcendiſſe de cælo dicamus, tot eſſe non reales, ſed duntaxat verbales ἰδιωμάτων κοινωνίας Ratio eſt, quoniam hæ proprietates re ipſa non inſunt ei naturæ cui propter perſonę vnitatē attribuuntur: quod quiſquis negat Eutychianum ſe fateatur oportet.

PAG.21. Quia Neſtorianam hanc locutionem FILIVM DEI fuiſſe in FILIO MARIAE in Brentio reprehendi, non poteſt quidem D. Andreas illam excuſare, ſed queritur me durius etiam eſſe locutum, quum dicerem duas in Chriſto eſſe vniones hypoſtaticas: Vnam, in corpore & anima ſimul perſonaliter vnitis: alteram in λόγῳ & homine ad vnum Chriſtum

Chriſtum perſonaliter cõſtituendum coeuntibus. *Quomodo enim*, inquit, *non erunt duæ perſonæ in Chriſto, ſi duas perſonales vniones in Chriſto dixeris?* Reſpõdeo lõgè aliud eſſe duas hypoſtaticas vniones, quàm duas hypoſtaſes ponere, quod ego diſertè expreſsi quum dicerẽ hominẽ illum (qui ſi per ſe ſpectetur, hypoſtaticè ex corpore & anima cõpoſitus eſt) altera hypoſtatica vnione cum Verbo vnitum eſſe, vt ita vnicus Chriſtus perſonaliter conſtituatur. Itaque quum hanc explicationem addiderim, nullum eſt periculum ne quis arbitrari poſsit Chriſtum à me in duas perſonas diuidi. Quod ſi excipiat quiſpiam, ſic tamen videri Chriſtum ex duabus perſonis non duabus naturis conſtitui: reſpondeo ne hoc quidem ex illo meo dicto poſſe colligi. Neque enim quicquid hypoſtatica vnione coaluit, eſt tamen hypoſtaſis, niſi ſeorſim & per ſe ſubſiſtat, ſicut in reliquis humanæ naturæ indiuiduis euenit, in illo verò quod à verbo aſſumptum eſt, minimè, vtpote quod ſeparatim & per ſe nunquam, ſed in alio, putà in Verbi Dei hypoſtaſi, ſemper ſubſtitit ineffabili illa vnione eodem momento facta quo indiuiduum illud extitit. Et hæc cauſa eſt cur quod, ſi per ſe ſeorſim ſubſiſteret, perſona diceretur, in Chriſto non perſona ſed natura humana in Verbi perſonà ſubſiſtens, ſit ac vocetur.

PAG. 22 *Valde etiam, inquit, abſurdum eſt quod Beza affirmat, Paulum appellare Chriſtum* παθητὸν. *quis autem, inquit, audebit vel λόγῳ vel animæ id tribuere? an, quæſo, anima Chriſti non eſt paſſa, quum Chriſtus dicat, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem?* At ego quæro ex D. Andrea, Illuſtriſs. Princeps, quid ſit συκοφαντεῖν ſi hoc non eſt. Mea enim hæc verba ſunt. *Dicemus etiã cum Paulo Chriſtum* παθητὸν *fuiſſe, imò etiam mortuum. Et quis hoc audebit vel* λόγῳ *vel animæ tribuere?* Hæc, inquam, mea verba ſunt, ex quibus quis non videt me illud παθητὸν ad mortem reſtringere? Tu verò, mi Andrea, videris qua tandem fide & conſcientia, vt ſententiam meam perverteris, hæc verba IMÒ ETIAM MORTVVM, in meis citandis expunxeris. Quaſi verò tam parum in ipſis Theologiæ elementis profecerim, vt Chriſtum ignorem præcipuos illos pro peccatis noſtris dolores fuiſſe animo perpeſſum: aut adeò communis ſenſus expers, vt corpus abſque anima, dolores illos pati potuiſſe credam.

EADEM pag. ſic ſcribit. *Non minus abſurdum eſt quod addit Beza, dicimus, inquit, etiam illum omnia ſciuiſſe, quod tamen neque carni neque animæ ipſius (videlicet Chriſti) convenit. Num propterea non omnia ſcire dicendus eſt qui ad breue tempus ſe quaſi abdicat ſua maie-*

ſtate,

ſtate: in quo tamen OMNES, OMNES, *inquam, theſauri ſcientiæ abſconditi ſunt? Sic ipſe Caluinus quoque interpretatur, Chriſtum quum diceret ſe diem illum ignorare ad munus ſibi à Patre iniunctum reſpexiſſe: quemadmodum cùm diceret non eſſe ſuum hos vel illos ad dexteram ſuam collocare. Perperam ergo omnium ſcientia naturæ humanæ à D. Beza negatur.*

RESPONDEO D. Andreæ, ipſius D. Lutheri verbis, qui locum illum Marci 13. tractans in concione quadam, vt etiam in meo libello citaui, *Intempeſtiuam*, inquit, *narrationem quidam hîc afferunt, dicentes, Filius neſcit, id eſt, noluit ſcire. Quid enim opus iſtis commentis? Chriſtus verus homo fuit, quare vt alius purus, ſed ſanctus homo, non quolibet tempore cogitauit, dixit, voluit, intellexit omnia: ſicut imperiti quidam omnipotentem in eo hominem faciunt, permiſcentes duas naturas, atque opera earum parum prudenter. Sicut enim non quolibet tempore omnia vidit, audiuit, atque ſenſit, ita etiam corde non omnia ſemper agnouit, ſed quantùm illum duxit ac docuit Dominus.*

HAEC ille totidem verbis, in quibus nemo non videt manifeſtè quod D. Andreas negat affirmari, Chriſtum videlicet

ſecundùm carnem, antequam glorificaretur aliquid neſciuiſſe. non quia ſcire noluerit, ſed quia omnia ſcire tum nondum potuerit. Itaque cum D. Luthero prius ſi libet, tranſigat, deinde mecum contendat. Quòd autem D. Caluinum beatæ memoriæ nobis obiicit, miror quo pudore id faciat: *Reſpiciebat*, inquit Caluinus, *ad munus ſibi à Patre iniunctum, quemadmodum ſuprà dixerat non eſſe ſuum hos vel illos ad dexteram vel ſiniſtram locare*. Hæc ille, fateor, ſed cur integrum locum D. Andreas non aſcribit? *Sic etiam nunc intelligo*, inquit, *quatenus Mediator ad nos deſcenderat, donec ſua prouincia defunctus eſſet, non fuiſſe illi datum quod poſtea à reſurrectione accepit*. Paulò antè verò hæc etiam ſcribit, *Quia hoc indignum eſſe Chriſto multi putabant, conati ſunt huius ſententiæ duritiem ſuo commento lenire. ad captandum etiam ſubterfugium eos forte compulit Arii malitia, qui hinc euincere conatus eſt Chriſtum non eſſe verum & vnicum Deum. Ergo ſecundum eos neſciuit Chriſtus diem extremum, quia aliis patefacere noluit. Sed quum palàm ſit Chriſto communem cum Angelis ignorantiam tribui, alius ſenſus aptior nobis quærendus eſt*. Et mox, *Scimus duas naturas in Chriſto ita fuiſſe coniunctas in vnam perſonam, vt ſua cuique proprietas maneret, præſertim verò quieuit diuinitas, ſeq́ minime exeruit, quoties ad implendum Mediatoris officium interfuit humanam*

manam naturam ſeorſim operari quod ſuum erat. Quare nihil abſurdi fuit Chriſtum qui omnia ſciebat (ſecundùm diuinitatem videlicet ſiue quatenus erat Verbum) *aliquid ſecundùm hominis ſenſum neſcire. Neque enim aliter & dolori & anxietati obnoxius, & nobis ſimilis eſſe poterat.* Hæc ille de cuius teſtimonio nunc apparet opinor quo iure D.Andreas glorietur.

PAG. 23. negat ex ſuo dogmate conſequi, vel *diuinam naturam mortuam* fuiſſe,vel *humanitatem Chriſti* eſſe ab æterno. Quorſum id verò? neque enim ego hoc illi impegi,ſed tantùm, vt probarem de toto ſiue de perſona interdum dici,quod tamen reipſa alteri tãtùm naturæ competat (cuius rei ignoratio effecit, vt D.Brentius,& qui eum ſequũtur,iſtas controuerſias mouerent)hoc ſcripſi,Chriſtum dici & æternum & mortuum, quum tamen non poſsit ſine blaſphemia dici, vel diuina natura mortua vel humana natura æterna fuiſſe.Hęc ego,inquam,ſcripſi,quæ ne ipſum quidem inficiari poſſe credò. Nunc autem hoc apertè ſcribo. Si verum eſt quod ipſi ſentiunt, nempe omnes diuinitatis proprietates, ſine vlla prorſus exceptione, fuiſſe in aſſumptam humanitatem realiter, vt loquuntur, collatas ſeu effuſas: neceſſariò conſequitur humanæ naturæ competere ex dono quicquid eſt di-

uinæ ex ſeſe proprium. Oſtendant nunc igitur cur æternitatem excipiant, & cur ſit abſurdius dicere, Chriſtum ſecundùm vtramque naturam eſſe ſine principio & fine, quàm ſecundùm vtramque naturam eſſe vbique, quod ipſi paſsim inculcant. Dico enim non minus eſſe incommunicabilem proprietatem vbiquitatis, quàm æternitatis.

QVÒD autem attinet ad alteram κοινωνίαν ἰδιωμάτων, qua fit vt humana diuinis attribuantur, quum D. Andream hærere neceſſariò oporteret, conſiderandum eſt quo cuniculo elabi conetur. *Ingens*, inquit, *eſt inter iſta diſcrimen, quando Deus mortuus, vel comediſse & bibiſse dicitur, & homo omnia ſcire & præſens gubernare. Deitati enim nihil accedit: humanitati autem reuera aliquid ex vnione acceſsit, quod non eſt ipſius eſsentia.* Quid tum verò? quid ex iſtis peruulgatis myſteriis colligere poteſt? nempe verè & reipſa humanitati tribui diuinitatis proprietates: quas omnes ſummæ maieſtatis nomine intelligit, quæ nimirum perſonali vnione humanitati reuera acceſſerint: contrarium autem eſſe quoties humana diuinitati attribuuntur, quoniam, inquit, deitati nihil acceſsit.

HAEC verò ſi ita ſunt, vt dicit, quid aliud cõſequitur, quàm aliquam eſſe verbalem non realem ἰδιωμάτων κοινωνίαν, quod tamen ſolet

quum

quum libet, fortiſsimè negare? Omitto etiam illud, quòd admodum impropriè ſcripſerit, deitati nihil accedere, quum potius ſcribere debuerit, deitati nihil decedere, ſiquidem moriendi & bibendi ac comedẽdi neceſsitas, non acceſsionis, ſed deceſsionis potius nomine ſignificantur, ſi Deo attribuantur. Omitto, inquam, iſtud, quoniam res ipſa oſtendit, D. Andream, quum biduanam iſtam reſponſionem in me ſcriberet, nimium ſanè præcipitem fuiſſe. Illud autem non poſſum prætermittere, quod addit, *Ita de eodem Chriſto quatenus homine aliter dicitur, quòd fuerit antequam Abraham eſſet; & quòd omnia per ipſum nunc λόγος gubernet.* Quid audio? nec enim reſpondent iſta ſuperioribus. Propoſuerat enim duo prædicationum genera vt diuerſa. Vnum, in quo humana diuinis, vt quum Deus mortuus dicitur: alterum, in quo humanis diuina attribuuntur, vt quum homo omnia ſcire & præſens dicitur gubernare. Hoc autem duplex dicendi genus quod ſubiicit, ad alteram tantùm nempe poſteriorem ſpeciem pertinet, qua videlicet humanitati Chriſtus tribuitur ante Abrahamum; ſiue ab æterno fuiſſe, & in ſumma maieſtate eſſe collocatam, ſiue omnipræſentem factum eſſe, quod vtrunque diuinum eſt. Itaque rurſus eum fefellit nimius iſte ad reſpõdendũ ardor: ideóque lõgè præſtitiſſet vnũ & alterum menſem potius, quàm biduum, rei

tam feriæ impendere. Negat tamen vtramque illam propoſitionem ſimili modo intelligendam. *Humanitas enim Chriſti*, inquit, *reuera non fuit antequam Abraham eſſet, ſed Chriſto etiam ſecundum humanitatem iam* REVERA, REVERA, *inquam, omnia ſubiiciuntur, & ſubiecta ſunt, vt verè cum λόγῳ regnet & gubernet omnia in ſummam maieſtatem collocatus. Hæc ſi quis dicat eadem ratione de humanitate Chriſti prædicari, qua dicitur eum fuiſſe antequam Abraham eſſet, blaſphemiam eſſe, & ſeſsionis hominis Chriſti ad dexteram Dei manifeſtam abnegationem, omnes pii pronunciabunt. Sed ab aduerſa parte ſine vllo diſcrimine proponuntur rudioribus, qui facilè hoc modo decipiuntur: quæ ſi ignorantia fiunt, emendanda: ſin ſtudio, nemo bonus id probare poteſt. Eſt enim hic palpabilis error, quæ longe diuerſiſsima ratione de eadem re dicuntur, per ſe inuicem explicare*. Itáne verò? quando igitur quæ libuit ſcripſiſti, audi nunc quæ non libet. Dixi & dico abſque blaſphemia, has propoſitiones Chriſtus homo erat ante Abrahamū: & Chriſtus homo præſens omnia gubernat, eſſe vna & eadē ratione explicandas, quia nimirū propter perſonæ vnitatē, fas eſt ex Scripturę cōſuetudine non modò perſonæ tribuere, quod alterius tantùm eſt naturæ (veluti quū Chriſtus mortuus, & ſēper fuiſſe dicitur) ſed etiam naturarū ſingularū proprietates reipſa incōmunicabiles, verbis tamen permutare: quē tropū veteres omnes ἰδιωμάτων

κοι-

κοινωνίαν non realem,ſed verbalem vocarunt. Verum eſt igitur Chriſtum hominem fuiſſe ante Abrahamum, ac non niſi ſecundū diuinitatē,qua etiā hic homo præditus eſt. Itidē verum eſt Chriſtū hominem præſentem omnia gubernare,ſed ſecūdùm diuinitatem,qua nunc ſic præditus eſt,vt ſit etiam cum ea glorificatus. Sic quoque verum eſt Deum gloriæ fuiſſe crucifixum,& ſanguine ſuo Eccleſiam redemiſſe,vt loquitur Scriptura,ſed ſecundū humanitatem duntaxat,ſiue in carne aſſumpta. E cōtrario verò propoſitiones iſtas Chriſtum ſecundùm humanitatem, ſiue Chriſti humanitatem vbique eſſe præſentē:& Chriſti humanitatem ante Abrahamum fuiſſe, ſimiliter falſas,blaſphemas,& penitus Eccleſiæ Dei inuſitatas eſſe dico & affirmo,eadem prorſus ratione qua & iſtæ falſę ſunt & blaſphemæ,diuinitatem eſſe mortuam, & Chriſtum ſecundùm diuinitatem non eſſe alibi, quàm in cælis. Ratio eſt,quoniā in abſtracto humanitatis vel diuinitatis nomine ſignificantur ſeorſim naturæ, quarum proprietates in hypoſtatica vnione ſunt prorſus & reipſa & verbis incommunicabiles: abſtracto autem vel Dei ſeu λόγου, vel hominis vocabulo totum ipſum ὑφιςάμενον ſiue tota perſona declaratur,quæ quoniam vna eſt & inſeparabilis, ἰδιωμάτων κοινωνίαν verè admittit. Hæc inquam,affirmo D. Andrea,vt blaſphemiæ cri-

mē effugiā, nedū vt metuā propterea blaſphemus aut impoſtor videri. Quę verò hîc in nos immeritò ſcripſiſti, Dominus tibi condonet.

P. à 6.25, & 32 & alibi aliquoties non pudet D. Andream, nouum & prorſus inſanum dogma mihi impingere, quaſi videlicet ſentiā *Chriſtum iuxta humanitatem, nō aliter nobis nunc adeſſe, quam adfuit Abrahæ, quo tempore neque anima, neque corpus eius in rerum natura fuerunt.* Et hîc rurſus cogor, Illuſtriſsime princeps, ex D. Andrea quærere quid ſit συκοφαντεῖν ſi hoc non eſt: nec recuſo quin iis ipſis, verbis quæ ex meo libello profert iudicium fiat. Dixi in ſumma propter perſonalem vnionem, quæ efficit vt vnus ſit Chriſtus indiuiſus, propoſitionem iſtam, Chriſtus totus Deus & homo eſt vbique præſens, eſſe veriſsimè dictam, ſicut & illam, Chriſtus fuit ante Abrahamum, quanuis ſingulis partibus non conueniat, quod de toto complexim dicitur. Deinde iſta ſubieci quæ ſiue impudēter ſiue callidè præteriit D. Andreas: *Inepta fuerit conſecutio iſta, Chriſtus fuit ante Abrahamum: ergo. & diuina & humana eius natura fuit ante Abrahamum. Dicimus autem non minus abſurdam eſſe hanc conſecutionem, Chriſtus eſt vbique: Ergo Chriſti tum humanitas tum diuinitas eſt vbique.* Hæc, inquā, ſcripſi, vt vtrāque illā propoſitionē ſimiliter explicandā eſſe docerem, de ipſa nimirum forma locutionis diſſerēs, qua fit vt de tota perſona dicatur quod

ſeor-

ſeorſim non niſi alterius nempe diuinæ naturæ reſpectu prædicat. Hoc verò an non inſignis eſt calumnia ad rem ipſam ſiue materiã enuntiationis transferre? Quæſo enim ſi dicã ſimiliter hęc eſſe vera, Andreas docet Tubingæ ſicut docet Geneuæ Beza, an conſequetur eadem me Geneuæ docere atque ille Tubingæ docet? Neque hîc verò duntaxat, ſed alibi etiam in eâdem vocula SICVT argutatus eſt, quùm vt illud Auguſtini dictum *Non eſt conſequens vt quod eſt in Deo ſit vbique vt Deus* eluderet, ſcripſit Auguſtinũ ſentire quidem humanitatẽ eſſe vbique, ſed alio modo quàm diuinitatẽ, quem vnius voculæ paralogiſmum quũ legerẽ, fateor me riſum inter lachrymãdũ tenere non potuiſſe. Ergo vt ad rẽ redeã, non ſum ita inſanus Dei gratiâ, vt id quod eſt in rerũ natura ab eo quod nondum eſt niſi in ſpe, diſtinguere neſciam: & iſtos inconditos clamores, quaſi Chriſtum hominem eſſe, ſiue in carne veniſſe negẽ, id eſt, putidas & omnib⁹, vt ſpero, manifeſtas calũnias nihil moror.

IDEM dictum ſit de hoc etiã quod pag. 26 & aliquoties alibi his verbis ſcribit, *Pium lectorẽ inquit, admonitum volo, vt diligenter attendat vbicunque Beza de toto Chriſto loquitur, eum de diuinitate tantùm intelligendum, & dimidio Chriſto Deo tantùm nõ homine.* Obſecro enĩ quę impudẽtia eſt dicere, me, quia nego Chriſtũ ſecũdùm humanitatẽ adeſſe, negare Chriſtũ etiam hominem adeſſe? quid enim? an homo & humana

natura idem ſunt? Chriſtus homo eſt Deus, quod negare non potes, quin Chriſtum diuidas, ſed humana Chriſti natura, an eſt diuina? Vides igitur magnũ eſſe inter iſtas loquendi formulas diſcrimen, quoniã concretũ hominis nomen de perſona quæ vna eſt duabus naturis conſtans: humanitatis autem nomen abſtractum, vt milies iam inculcaui, naturã tantùm alteram ſeorſim declarat. Quis autem nos ſic loqui docuit? certè Spirit⁹ ſanct⁹. Vera enim eſt iſta locutio, Deus gloriæ crucifixus eſt: iſta verò falſa eſt & blaſphema, diuinitas gloriæ crucifixa eſt. Sic & iſta vera eſt, Chriſtus Deus & homo erat ante Abrahamum, Filius hominis erat in cælis loquens in terris cum Nicodemo: iſtæ verò falſæ ſunt & blaſphemæ, Chriſtus ſecundùm humanam & diuinam naturam fuit ante Abrahamum, & Chriſti humanitas erat in cælis quum eſſet in terris. Sic etiam diſcat D. Andreas verè dici Chriſtum totum Deum & hominem vbique eſſe, quia idẽ vnus eſt & idem homo indiuiſus: falſam autem & merè Eutychianam eſſe blaſphemiam, qua dicitur Chriſtus etiam ſecundũ vtrãque naturã nunc in terris adeſſe. Hæc, inquam, diſcat, tum ex Scripuris, tum ex perpetuo omnium Orthodoxorum conſenſu, quorum innumerabilia teſtimonia alibi citauimus, & calumniari tandem deſinat.

PA. 28 obtrudit nobis illud Apoſt. In ipſo inhabi

habitat oīs plenitudo deitatis corporaliter:& addit, *Num aliquid incommunicatum reliquit qui omnem plenitudinem communicatam eſſe dicit corporaliter? quatenus Deus in ſanctis habitat, eatenus ſeipſis communicat, videlicet ſecundùm menſurā donationis Chriſti, ſed in Chriſto eſt plenitudo deitatis. Quicquid λόγος eſt & poteſt, nihil excepto, per vnionem perſonalem homini aſſumpto communicatum eſt.* Pudet me toties eadem inculcare, ſed ita neceſſariò faciendum eſt, vtinam cum aliquo fructu. Quum vnitas perſonæ conſideratur, neceſſe eſt toti eſſe commune quod alterius eſt per ſe proprium, niſi vnum velimus in plura lacerare: vt, exempli gratia, Petrum vocamus mortalem λογικὸν, & verè quidē, quia Petrus eſt vna hypoſtaſis indiuiſa quandiu eſt Petrus. Certum eſt tamen nec Petri corpus eſſe λογικὸν, nec Petri animā eſſe mortalē. Hac igitur ratione, quis tandem noſtrûm vnquam negauit, multò magis in iſta ineffabili vtriuſq; naturæ vnione, nihil prorſus in Dei Verbo, imò ne ipſum quidē Verbū eſſe aſſumpto homine ἀκοινώνητον? adeò quidem vt Verbū quæcunque hominis illius ſunt, ſua & ſibi propria eſſe ducat, vtpote quòd illum ipſum hominē cui illa inſunt, ſibi adeò propriū effecerit, vt alius non ſit aſſumens, quàm aſſumptus: quāuis aliud ſit aſſumptū, aliud à quo aſſūptū eſt. Imò tātùm abeſt, vt in hac cōtrouerſia quidquam ex illa deitatis plenitudine detrahamus

Chriſti perſonæ, vt è contrario hac in re potiſsimū ab his diſsideamus, quòd ipſam verbi cum ſuis omnibus proprietatibus ſubſtantiā illi aſſumpto homini perſonaliter vnitam eſſe dicamus, qua re Chriſtus ab omnibus hominibus differat: ipſi autem apertè negent Dei οὐσίαν aliter habitare in Chriſto quàm in reliquis hominibus, ac proinde οὐσίας vnionē in ἐνεργείας communicationem transformēt. Hac autem ratione fit, vt Chriſtus ſecundum Neſtorium diuidatur, vt qui ſecūdùm οὐσίαν à reliquis hominibus non differat, ſed ſecundùm ἐνεργείαν, ſiue vt Neſtori' magis propriè loquebatur, κατ' ἀξίωσιν ſit omnium diuiniſsimus. Sin verò naturas ipſas conſideres, tunc & ipſas naturas & proprietates earum eſſentiales dicimus eſſe prorſus ἀκοινωνήτους, quod quum ipſe quoque D. Andreas in hoc ſuo poſtremo ſcripto affirmet, nunc ei cogitandum eſt de huius dicti interpretatione, ne à ſe ipſo diſſentiat quum ſcribit, quicquid eſt & habet Verbum, perſonaliter eſſe homini illi aſſumpto communicatum. Diſtinctio enim illa qua vti ſolet, humanam naturam per ſe & abſolutè quidem conſideratam ſuas proprietates retinere, ſed quatenus coniuncta eſt cum λόγῳ in ſummam maieſtatem (quo nomine præcipuè omnipræſentiam intelligit) fuiſſe & quidem ab ipſo incarnationis momento euectam falſiſsima eſt prorſus & inaniſsima. Nam quocun-

quocunque modo humanam naturam conſideremus, nunquam eam inueniemus eſſentialibus diuinitatis proprietatibus ornatam: ſicut etiam viciſsim diuinitatem quocunque modo ſpectes, nunquam reperies fuiſſe exinanitam: ſed exinanitũ Filium Dei fuiſſe, & hominem illum omnem poteſtatem in cælo ac in terra accepiſſe, hęc demum inuenimus, quę abſit vt nos inficiemur. Qua in re igitur illi peccant? in hac nimirum quòd hominem & humanam naturam confundũt, nec animaduertunt hunc hominem aſſumptum eſſe duplici natura σωματικῶς ſiue ſubſtãtiali vnione præditum, vna quidem ſua, altera verò diuina: ideóque ipſi tribui diuinas proprietates, quibus tamẽ non ipſamet, ſed ea demum natura prædita eſt, in qua hypoſtaticè ſubſiſtit. Hæc eſt igitur plenitudo deitatis, quam meritò prædicat Apoſtolus, & propter quã etiam caput noſtrũ eſt Chriſtus, qua dignitate, non nos Chriſtũ priuamus, qui eũ σωματικῶς, non quidem ſecundùm carnẽ, ſed ſecundũ deitatẽ Deum illum æternum & verũ eſſe fatemur, & propterea cũ Thoma ipſũ adoramus & inuocamus: ſed ipſi ſanè priuant, qui deitatem ipſius ex ἐνεργείᾳ in carne, ſiue ſeorſim, ſiue ſimul conſiderata æſtimant, vt Chriſtus homo à reliquis hominibus non niſi ſecundùm plus & minus differat.

EADEM pagina affirmat Andreas ratione vnionis perſonalis vnam eſſe actionem λόγου & hominis aſſumpti, quod falſum eſſe dico, & à ſexta Synodo meritò damnatum: quoniam etſi vna eſt Chriſti perſona, ac proinde Chriſtus eſt vnum agens: tamen quum Chriſtus ex duabus naturis perfectis conſtet, neceſſe eſt duo etiam actionum Chriſti eſſe principia, ac proinde dogma illud Monothelitarum, à D. Andrea ex inferis eſſe reuocatũ, niſi fortaſſe ad conſenſus vnionem reſpicit: quę tamen neceſſariò ab hypoſtatica vnione, de qua diſſerimus, fuit diſtinguenda Quid ſi verò D. Andreæ vnam perſonalem actionem in Chriſto ab ipſo incarnationis momento conſtituenti explicandum ſit illud Chriſti dictũ, Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis, quomodo tandem ſuam illam actionem vnicam numero, vt vnica numero eſt perſona, tueretur?

EADEM pag. *Cupit*, inquit, *D. Beza ſibi vel vnũ à nobis demonſtrari, qui proprietates diuinitatis omnes ſcripſerit cum humana natura communicatas, quem nos ad Chriſti, Ioannis & Pauli teſtimonia ſuperius allata ablegamus*. Rectè ſanè, illuſtriſſime Princeps. Quis enim pius hos non modò teſtes, ſed etiam iudices refugiat? Proferãt igitur ipſi vel vnicum eorum teſtimonium, ex quo probetur vlla, nedũ vniuerſalis, ipſarum naturarum vel eſſentialium proprietatum communicatio, qualem ipſi quidem imaginan-

ginantur, & vltro aſſentiemur. Hoc autem quum dico, illud dico, Verbum quidem factum eſſe carnem, ac proinde Chriſti hominis eſſe ſubſtantialiter quæcunque ſunt τῶ λόγου, ſed ita vt neque diuinitas facta ſit humanitas, (eſt enim Deus immutabilis) nec humanitas facta ſit diuinitas, ſiue ipſam deitatem, ſiue eius proprietates οὐσιώδεις ſpectes: ac proinde prorſus ſit falſum, & Eutychianum quicquid iſti de omniſapientia, omniſcientia, omnigloria, omnimaieſtate, omnipræſentia denique à diuinitate in aſſumptam carnem effuſis contra Verbum Dei & totam Orthodoxam Eccleſiam cōminiſcuntur. Nec obſtat quòd omnia ſint eſſentialia in Deo. Quomodo enim nihilominus quædam ſint Dei attributa, alibi eſt abundè à noſtris explicatum.

EADEM pagina, *Si nobis*, inquit, *ex Scriptura ſacra demonſtrauerit D. Beza ſeſſionem ad dexteram Dei aliquid aliud ſignificare quàm hanc ipſam ſummæ maieſtatis communicationem, qua λόγος plenitudinem omnis diuinitatis homini Chriſto communicauit, parati ſumus coram vniuerſa Chriſti Eccleſia παλινῳδεῖν, & errorem, ſi quis ſit, publice reuocare.*

AD hoc verò tria reſpondeo, Illuſtriſsime Princeps. Vnum, quot ſunt teſtimonia Scripturæ quibus aſſeritur Chriſtum eſſe Deum,

totidem teſtimoniis damnari dogma eorum qui plenitudinem deitatis Chriſti non in ſubſtantiali à τοῦ λόγου vnione, ſed in plena & perfecta eiuſdem ἐνεργείᾳ ponunt, qui eſt Neſtorianus error & aliqua etiam ex parte Eutychianus. Alterum, nimiùm dilutum eſſe communicationis verbum præ vnionis vocabulo. Tertium, nos minimè inficiari per ſeſsionē ad dexterā Patris ſignificari plenā in cælis aſſumptę carnis Chriſti glorificationē, qua nulla poſſit vlli creaturæ maior à Deo obtingere. Sed hunc ſupremum illius gloriæ gradum fuiſſe ab incarnationis momento Chriſti carni communicatum, ſiue Chriſtum fuiſſe ab initio ad dexteram Patris exaltatum dicere non poteſt D. Andreas, quin ſimul Chriſti non dico mortem duntaxat, ſed etiam mortalitatem, atque adeò totam exinanitionem neget. Neque enim quidquam hîc eum iuuat diſpēſatio qualem ipſe quidē imaginatur. Siquidē Chriſtus ante aſcenſionem in cælos, aut reuera fuit per omnia nobis ſimilis, excepto peccato: aut per viſionem duntaxat, & non in ſeſe, ſed noſtrorū tantùm ſenſuū reſpectu. Si hoc poſterius affirmaret D. Andreas prorſus eſſet Marcionita, quod non opinor. Sin verò alterum verum eſt, quia prius oportuit Chriſtum pati & ita introire in gloriam Patris, aut probet D. Andreas Omnimaieſtate donatam, ſiue ad dexterā Patris iam tum collocatam fuiſſe carnem, quæ

nihilo-

nihilominus reipſa eſſet in ignominia & morte: aut nobiſcum fateatur, Chriſti carnem non priùs ad dexteram Patris fuiſſe collocatam, quàm omni infirmitate defuncta, & ſupra omnes cælos ſubuecta, reipſa fieret qualis nũc eſt. Ex hoc autem conſequitur hypoſtaticam vnionem cum ſeſsione ad dexterã Patris perperam confundi quum hæc illam multo poſt tempore ſit conſecuta: cui rei probãdæ omnes illos locos adhibeo in quibus ſeſsio illa ad dexteram Patris in ſacris Literis explicatur. Deinde & illud conſiderandum eſt, quanuis vna & eadem ſit *Chriſti perſonæ gloria*: hoc tamen non obſtare, quominus ſua diuinitati conſtet dignitas ac præſtantia, adeò vt ſtare nullo modo poſsit omnipræſentialis illa maieſtas in carnem effuſa. Stat enim illud Pauli, caput Chriſti eſſe Deum, humanitatis videlicet aſſumptæ reſpectu: & ſcriptum eſt, Deum excipi qui ſubiecit ipſi omnia: ac proinde rectè dixerunt Patres, Chriſtũ ſecundùm humanitatẽ ſeipſo quatenus Deus eſt minorem eſſe, & ſibi ipſi quodammodo ſubiici, nedum vt Chriſtus etiam glorificatus, ſiue quatenus ad dextram Patris eſt euectus, Deo vel οὐσίᾳ vel ἐξουσίᾳ, vel ἐνεργείᾳ aut alio vllo modo ſecundùm carnem ſit exæquatus, quod eſt planè Eutychianum.

DENIQVE ſi nobis vel ex Dei verbo, vel ex

vllo prorſus Orthodoxo ſcriptore demõſtrarit D. Andreas, vnquam in Eccleſia Dei receptũ fuiſſe dogma, ſeſsione ad dexteram ſignificari Chriſti ſecundùm carnem omnipræſentiam: vel alibi nunc eſſe Chriſtum ſecundùm carnem quàm in cælis, cælis, inquam, illis non allegoricis nec geſtatoriis, ſed quibus vltramundanæ regiones, quæcunque & qualeſcunque tandem illæ ſint (hęc enim ſuo tempore intelligemus) ſignificantur, tunc contenti ſumus παλινῳδεῖν, & quod dicimus, reipſa præſtabimus. Dicam etiam aliquid amplius, Illuſtriſs. Princeps, ni ex verbo Dei & perpetuo omniũ Græcorum & Latinorum conſenſu conſtet, totum hoc dogma quo dicitur Chriſtus ſecundùm vtramque naturam vbique eſſe, merè Neſtorianum eſſe & Eutychianum, & omnibus modis execrabile, non recuſo quicquid æqui iudices cenſuerint: conueniant tantùm quos conuenire oportet, aduocentur Eccleſiæ, moderetur principum æquitas pſeudotheologorum quorundam peruicaciam, audiatur Dei verbum, adiungatur duarum Synodorum vniuerſalium minimè ſuſpectę fidei authoritas, & tandem obtineat veritas. Hæc petitio, ſi æqua eſt, cur non impetratur? ſi iniqua, cur melior aliquà Eccleſiaſticæ concordiæ ratio non aperitur? Ego quidem coram Deo & Angelis conſcientiam meam libero.

PAG. 29. ſomniat D. Andreas me ad Papiſtas transfugere, veritatis nimirum patrocinio deſtitutum. Ingenioſum certè commentum, præſertim quum addat me ex Ingolſtadienſibus neſcio quibus Ieſuitis habere quod doceo: quia ſcilicet longè nobis melius cum Papiſtis conuenit quàm iis qui tranſubſtantiationem in conſubſtantiationem transformarunt, vt vnica ſyllaba ab Antichriſti deliriis diſtent. Res autem ita ſe habet. Papiſtas dixi, quum alioqui iſto vbiquitatis figmento maximè ſit illis opus, tamen illam, ſicuti par erat, maximè eſſe deteſtatos, vt eos qui puram religionem profitentur maximè pudere debeat, craſsius etiam quàm illos cæcutire. Cur enim mihi non concedat D. Andreas ipſius ſaltem. D. Lutheri veſtigia ſectari? Notum enim eſt qua ille commendatione Nicolai Papæ decretum & Berengarii damnationem, dum ſuas hyperbolas amat, ſit proſecutus. Si hoc exemplum ſatis D. Andreæ non arridet, ſaltem patiatur me Iſaiam imitari, qui populum ipſum Dei ablegat ad aſinos & boum præſepe. Cæterùm quod ad Ingolſtadiēſes illos attinet, mihi alioqui penitus ignotos, & quibus alioqui minimè omnium hominum aſſentari velim: fateor me illorum ſcriptum aduerſus iſtud Vbiquitatis ſeu omnipræſentiæ portentum (quibuſdam tantùm exceptis, quæ ad tranſubſtantiationis figmentum pertinēt) & libenter & cum

fructu perlegiſſe:adeò quidem, vt ſi tempeſtiuè in manus meas incidiſſet, nihil fortaſſe de hoc argumento, quod abũdè ab ipſis videtur refutatum, fuerim vnquam ſcripturus. Legi quoque D. Andreæ reſponſionem, quæ quantum ipſi authori placuerit neſcio: me quidem certè coegit Germaniæ illius vicẽ, cui inſtaurati Euangelii beneficium maxima ex parte debemus, deplorare. Sed hoc me conſolatur, quòd multos in eadem Germania iam eſſe videam qui hanc patriæ inuſtam maculam contrario veritatis teſtimonio eluant.

Svperest appendix de veterum & nouorum Sacramentorum collatione, quam D. Andreas, nouas quaſdem theſes parturiens velut ἐκ περιουσίας adiecit: obtruſa etiam nobis rancida illa diſtinctione ſignificatiuorum & exhibitiuorum Sacramentorum, non minus certè barbara quàm falſa & inepta, ſicut ſuo loco oſtenſurum me ſpero, ſi opus erit. Satis enim ſupérque controuerſiarum eſt, Illuſtriſsime princeps, & iampridem multi boni & docti homines optant petulantiam iſtam ingeniorum ſic coerceri piorum Principum authoritate, vt velint nolint, vel tacere, vel componendis potius veteribus diſſidiis, quam nouis excitandis operam dare cogantur. Ego quidẽ Illuſtriſſime princeps, ſi quid hîc pecco, nolens pecco, nec le-

gitimum iudicium recuſo, Quid optem videt Celſitudo tua: quid ſim impetraturus Deus nouit,& tempus oſtendet. Neque enim meam ſed veritatis cauſam ago, cuius aſſertor & vindex erit Dominus.

INGENVA D. LVTHERI CONFESſio de duabus Chriſti naturis & earum proprietatibus & operibus incommunicabilibus, edita in magnis poſtillis, concione de natali Domini, in qua quo minus perſeuerauerit fecerunt Germaniæ, atque adeò totius mundi peccata.

Intempeſtiuam quidam enarrationem adferunt dicentes. Filius neſcit, id eſt, non vult ſcire. Chriſtus verus homo fuit, quare vt alius purus, ſed ſanctus homo, non quolibet tempore cogitauit, dixit, voluit, intellexit omnia: ſicut imperiti quidam omnipotentem ex eo hominem faciunt, permiſcentes duas naturas, atque opera earum parum prudenter. Sicut enim non quolibet tempore omnia vidit, audiuit atque ſenſit, ita etiam corde non omnia ſemper agnouit, ſed quantum illum duxit ac docuit Dominus.

Videmus Scripturam multò dexterius, & explicatius de Chriſto loqui, quàm nos ſoleamus. Pulchrè perſonam cum natura iungit, ac rurſus naturas nequaquā confundit, vt pauci ſint (quod debemus humanis commentis, quibus ætatem noſtram attriuimus, & ingenium corrupimus) qui id percipiant, vt ipſe profectò perſæpe in his & ſimilibus locis errauerim, & naturæ tribuerim, quod competit perſonæ, & contrà.

DE SACRAMENTALI CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI CVM ſacris ſymbolis cõiunctione, aduerſus Matthiæ Flacii Illyrici falſiſsimas de-mõſtrationes.

***

RESPONSVRVS Matthiç Flacii Illyrici partim calumniis,partim puerilibus paralogiſmis, quos euidentiſsimas demonſtrationes vocat, ſubiiciam in primis ſummam doctrinæ de re Sacramentaria,ſicut & ipſe D. Caluinus ſcripſit & docuit, quîcum quis fuerit cùm Tigurina & omnibus harum partium Eccleſiis conſenſus, nemo ignorat: & vt eſt à me (approbante D. Caluino optimo meo in Chriſto parente) perſcripta aduerſus Heshuſsii ineptias ante annos quatuor: partim ne quis cauſetur nos prout libuit doctrinam noſtrã inflectere, partim vt qua conſcientia tota hæc factio nobiſcum agat, vel ipſi pueri tandẽ intelligant. Eſt igitur hæc ſumma eiuſmodi.

SVM-

SVMMA DOCTRINAE DE re Sacramentaria.

IN CHRISTO vnico noſtro Mediatore, quatuor præcipuè ſpectamus, Perſonam Officium, Dona quæ ex eo haurimus, denique Quo modo fiamus illorum donorum compotes.

De Chriſti perſona.

CHRISTVM docemus duabus naturis cõſtare: vna Diuina τοῦ λόγου, altera humana, vnam perſonam vtriuſque naturæ conſtituentibus, ſed ſaluis ac diſtinctis proprietatibus. Naturam igitur humanã Chriſti fatemur glorificatam, & quidẽ ſummo glorificationis gradu, ſed per quam ſublata ſit naturę infirmitas, non autem immutata natura. Hęc autem conditio qua omnia corpora humana finita ſunt ac circunſcripta, ac proinde non niſi loco contineri poſſunt, non eſt infirmitatis, ſed naturæ.

SICVT ergo corpus Chriſti, dum verſaretur in terris, aberat è cælo, ſecundùm humanæ naturæ proprietatem: ita nunc poſt aſcenſionem abeſſe à terris, & cęlo ſublimiſsimo comprehendi credimus, non vt ibi alligatum, ſed vt paterni Imperii particeps.

CHRISTVM tamen non diſcerpimus: Docemus enim nuſquam eſſe Chriſti corpus, quin ibi ſit λόγος ὑποστατικῶς cum carne coniunct⁹, & ideò totum Chriſtum vbique

Hoc Spiritus ſancti effectum longè præſtantiſsimum vocamus Fidem, donum gratuitum Dei electis peculiariter deſtinatum, vnicúmque ex parte noſtra percipiẽdo Chriſto & omnibus ipſius donis recipiẽdis aptum & idoneum inſtrumentum.

Ideo docemus cum Paulo nos ſola fide iuſtificari & ſeruari, quatenus videlicet ſolo fidei inſtrumento apprehendimus omnia ad ſalutem neceſſaria, nempe Chriſtum cum omnibus ipſius donis.

Porro Spiritus ſanctus huic fidei per arcanam ſuam virtutem in nobis gignendæ, & poſtquam ſemel genita eſt, fouendæ & confirmandæ, adhibet etiam externa inſtrumenta (quoniam rudi & craſſa natura conſtamus) nẽpe verbum ſcriptum & prædicatum, quod ipſe ſua vi reddit efficax, vt ipſe ita in nobis efficiat ea de quibus antè diximus.

Hoc autem verbum interdũ eſt ſimplex, vt in quotidiana prædicatione Legis & Euãgelii: interdum habet adiuncta viſibilia ſigna cum certis ceremoniis, quæ Græci μυστήρια, Latini Sacramenta vocant.

Qvoniam videlicet Deus habẽs noſtræ infirmitatis rationem, vult nos non tantùm per aures, ſed etiam per reliquos ſenſus de bona illa ſua voluntate reddere certiores: & ita noſtram cum Chriſto ſuo Filio coniunctionem magis ac magis ſancire & obſignare

His

His poſitis, facile iam fuerit colligere quid ſentiamus de ſequentibus quæſtionibus in re Sacramentaria.

1 Quorſum & in quem finem inſtituta ſunt Sacramenta?

Primvm, vt eò efficacius Chriſtũ ipſum poſsideamus, vnum facti cum eo.

Secvndò, vt quò arctior eſt noſtra cum ipſo Chriſto coalitio, eò magis ac magis vita illa Chriſti in nos deriuetur, cum reliquis ipſius donis.

Tertiò vt melius admoneamur charitatis quę vigere debet inter *eiuſdem corporis* membra, & cui nos, *ſolenni proteſtatione*, obligamus.

2 Vnde efficacia illa Sacramentorum?

A Spiritus ſancti operatione in ſolidum, non autem à ſignis, niſi quatenus externis illis obiectis interiores ſenſus mouentur.

Hos verò motus Spiritus ſanctus, illis adminiculis noſtræ infirmitatis cauſa vtens, reddit efficaces, qua menſura, & quo libuit momento.

3 Quæ eſt cauſa formalis Sacramentorum?

Ordinatio Dei in ipſius verbo comprehenſa, & ab ipſius miniſtro explicata ſecundùm eius mandatum: non autem pronuntiatio ipſa illorum verborum, neque vlla vis in ipſis vocabulis latens.

4 Quæ eſt vis huius cauſæ formalis.

Vt ſigna non quoad naturam ſiue ſubſtantiam

tiam

tiam,ſed quo ad vſum dutaxat mutentur,ídque tantiſper dum actio ipſa viget cui ſubſeruiunt. Neque enim ſimpliciter aquam vt aquam,vel panem vt panem, aut vinum vt vinum in ſacris myſteriis habemus,ſed vt certa & vera ſymbola ac pignora earũ rerum quas nobis Dominus alio quidẽ modo(vt mox dicemus)ſed tamen certiſsimè & veriſsimè donat,id eſt ipſius Chriſti cũ omnib' eius donis.

5 Quæ materia Sacramentorum?

EXTERNAM materiam vocamus ſigna ipſa,id eſt, aquam in Baptiſmo, panem & vinũ in Cœna Domini vnà cum ceremoniis à Chriſto inſtitutis,ſicut verbum ipſius teſtatur,quæ & ipſæ res maximas ac prorſus diuinas verè ſignificant.

INTERNAM materiam,ſiue rem ipſam Sacramenti ſæpe iã diximus à nobis dici,non tãtùm quicquid à Chriſto in nos deriuatur,ſed ipſum in primis Chriſtum, quum quo oportet vt vnũ fiamus antequam ex ipſo quicquã hauriamus. Proponitur autẽ nobis in Baptiſmo quidem verus ſanguis Domini vt lauacrũ, quo ſanguine abluti, magis ac magis inſerimur & conſepelimur cũ Chriſto. In Cœna verò corpus & ſanguis eiuſdem nobis donatur,& quidem diſtinctis ſymbolis, vt verus noſter cibus & verus potus in vitã æternam.

EADEM eſt igitur materia interna verbi ſimplicis,& Sacramẽtorum,Chriſtus ipſe vi-

delicet cũ ſuis omnibus beneficiis, ad quorũ participationem vocamur. Sed differentia tamen eſt aliqua, ſecundùm plus & minus, vt dici ſolet in ſcholis. Primò, quoniam quando ad verbum ſimplex accedunt Sacramenta, neceſſe eſt vberiorem eſſe declarationem bonę voluntatis Dei erga nos: & quò plura ac magis expreſſa ſunt obiecta, eò vehementius mouent.

SECVNDO, quoniam quanuis verbũ ſimplex omnibus vniuerſaliter propoſitum, ſingulis poſtea fidelibus virtute fidei applicetur: tamen hoc non ita eſt expreſſum vt in Sacramentis, in quibus videlicet Chriſtus ſigillatim offertur, vnde fit vt ſinguli quodammodo in ipſius Chriſti poſſeſsionem per Sacramenta imittamur.

6 Quomodo coniuncta eſt res cum ſignis?

SACRAMENTALI modo, qui quum ſit proprius ac peculiaris, propria definitione eſt explicandus.

DEFINIMVS igitur ſacramentalẽ modũ coniunctionis rei cum ſignis, eſſe ſpiritualẽ: quo epitheto nihil imaginarium & fictũ concipimus, ſed in primis ſignificamus eum pendere à Spiritus Sancti virtute, ſicut in formalis cauſæ explicatione diximus.

DEINDE, omnem craſſum & naturalem coniunctionis modum ita excludimus. Sicut enim ſcimus, quod nemo inficiatur, ſigna eſſe

in terris,& non alibi:ita etiam ſtatuimus rem ipſam,id eſt Chriſtum ipſum ſecundùm carnem,cælis,& non alio loco comprehendi, vt ex Scriptura & Orthodoxis omnib⁹ Patribus colligimus. Et tamen coniuncta eſſe ſigna cũ re non dubitamus, quatenus videlicet Deus non tantùm ſymbola corporis & ſanguinis Chriſti,quaſi procul oſtentat,ſed præter ipſa ſigna,verè etiã Chriſtum ipſum nobis donat fruendum ac poſsidendum. Quo fit vt hoc reſpectu,verè coniũcta hæc dici de beãt,quãuis locorum interuallis longè latéque ſint ſeparata. Et tamen veram ac certam eſſe hanc coniunctionem affirmamus,adeò vt propterea etiam ipſius rei, id eſt Corporis & Sanguinis nomen ad ipſa ſigna,nempe ad panem & vinum figuratè quidem, ſed maximè ſignificanter transferatur.

SECVNDO,vt ſacramentalem hunc modum plenius etiam exponamus, addimus eſſe ſignificatiuum:non quaſi Deus nobis in ſacramentis corpus & ſanguinẽ Filii ſui,ipſúmque adeò Filium ſuũ duntaxat ſignificet (neque enim dubitamus quin verè etiam donet) ſed ne quis rem cum ſignis putet ita copulari, vt Chriſti quoque caro nũc in terris adſit,modo quodam inuiſibili & incomprehenſibili.

ABESSE igitur Chriſti corpus & ſanguinẽ à ſignis tanto interuallo dicimus, quanto

abeſt

abeſt terra ab altiſsimis cælis, ſiue à beatorũ ſede, de qua nolumus curioſius philoſophari, & in quam ſcimus Chriſtũ aſcendiſſe, vt noſtro omnium nomine immortalem illam hæreditaté adiret. Neque tamen rem à ſignis ſeparamus, vel Dei vtraque verè offerentis, vel fidelium vtraque verè percipientium reſpectu: ſed in coniunctione rei & ſignorum, locorum diſtantiam notamus, vt veritas carnis Chriſti & ipſius aſcenſionis retineatur, nec tamen Cœna Domini vllo modo euacuetur.

7 Quid iudicandum de his formulis, Corpus Domini eſſe *in*, vel *cum*, vel *ſub* pane, vel *iuxta* panem, & ſi quæ ſunt aliæ eiuſmodi?

HAS formulas hactenus veremur vſurpare, quòd videantur locorum diſtantiam euertere, quam neceſſariò conſtituimus: vel vbiquitatem corporis Chriſti cõfirmare, quam non poſſumus concedere, quanuis verè rem ipſã vltra ſymbola offerri à Deo, & verè à fidelibus fateamur percipi, ſed eo modo quem explicabimus quæſtione decima. Poſſe tamen videtur, concordiæ cauſa, Cum & Sub admitti, ſed non niſi adiuncta interpretatione plana & perſpicua, nempe ita eas particulas eſſe intelligẽdas, nõ quaſi caro Chriſti in terris ſtatuatur, ſed vt ſciamus & pręter Verbũ, & præter ipſa ſymbola quæ ſunt in terris, Chriſtũ ipſum qui eſt in cælis, verè nobis donari, ſicut

ſigna in terris teſtificantur.

8 Quid ſtatuendum de hac formula, Chriſtũ corporaliter, realiter, ſubſtantialiter, adeſſe præſentem in Cœna?

HAS quoque formulas ob eandem cauſam non vſurpamus. Videntur tamẽ & illæ tolerari poſſe, ſi modo interpretatio adiungatur, iſta videlicet non pertinere ad eum coniunctionis modum quo res cum ſignis coniungitur, ſed ad rem ipſam potius deſignandam, id eſt, vt intelligatur in Cœnæ actione, non tantùm virtutem Chriſti, ſed ipſam in primis cum Chriſto coalitionẽm in nobis ſanciri, à qua diximus, tanquam ex fonte, promanare, quòd ex eo poſtea & veram vitam & omnia ad ſalutem neceſſaria haurimus. Neque cenſerẽ recuſandum quin vicifsim huic noſtræ formulæ, Chriſtúm ſpiritualiter adeſſe in Cœna, ſimilis quoque interpretatio adiungatur, ne quis nos exiſtimet virtutem Chriſti ab ipſa Chriſti carne ſeparare, vel ſpirituale corpus ei affingere.

9 Quid de hac formula ſentiẽdũ, Chriſtũ in Cœna adeſſe, & diſtribui incomprehenſibili modo?

NOS hanc formulam vſurpamus, ſed alio ſenſu quàm nonnulli ſoleant. Videntur enim illi hoc ita accipere quaſi Diuina quadam omnipotentia, propter carnis cum Diuinitate hypoſtaticam vnionem, Chriſti etiam caro ſit realiter ſimul & in cælis & in terris. Nos verò, etſi neque omnipotentiam

Dei

Dei, neque veram rei cum ſignis, & fidelium cum ipſo Chriſto coniunctionem inficiamur, tamen propter carnis Chriſti, & aſcenſionis ipſius veritatē, affirmamus corpus Chriſti verè nunc à mundo abeſſe, & abfuturum donec veniat ad iudicandum viuos & mortuos. Sed nihilominus fatemur incōprehenſibile eſſe myſteriū Dei, quo fit vt quod eſt & manet in cælis, & nō alibi, nobis qui nunc in terris ſumus, & non alibi, verè communicetur, vt vitam & ſalutem ex eo nobiſcum communicato hauriamus. Etſi enim ſcimus Spiritum ſanctum, id *eſt Dei virtutem hoc operari*, &, quod ad nos attinet, ſolo fidei *inſtrumento*, id omne à nobis percipi, tamen & Spiritus potentia, & fidei efficacia noſtrum omnem ſenſum exuperant: quo fit vt tota hæc actio valde propriè *μυστήριον* vocetur.

10 Quomodo res Sacramēti nobiſcū cōmunicatur?

RES Sacramenti, id eſt Chriſtus à nobis percipitur modo ſpirituali per fidem. Spiritualem autem perceptionis ſiue communicationis modum vocamus, non quo duntaxat Spiritus Chriſti nobiſcum communicetur, ſed qui minimè ſit terrenus aut naturalis, verùm ab incōprehenſibili Spiritus ſancti potentia pendeat, quo videlicet arctiſsimo vinculo membra cum capite magis ac magis deuinciantur.

EXCLVDIMVS enim omnem ſubſtantia-

rum transfuſionem, ac permixtionem, atque adeò omnem partium naturalium coaptationem & ſtructuram, & tamen veram fidelium cum Chriſto coalitionem ſtatuimus, quæ nulla locorum diſtantia impediatur. Nititur enim fides noſtra verbo Dei, qui præſtat quod promittit.

11 Quo ſenſu admittendæ locutiones, Manducare corpus Domini, & Bibere eius ſanguinem, & ſimiles aliæ?

ILLAS loquēdi formulas, dicimus ad eam quoque communicationem pertinere, qua Chriſtū in ſimplici etiam verbo apprehendimus, & eſſe quidem valde ſignificantes: ſed vocabula Bibendi & Comedendi, quum de corporis & ſanguinis ſumptione dicuntur, non minus figuratè intelligenda, quàm ſi quis fidei tribueret os & dentes. Duas autem præcipuas cauſas afferimus cur Spiritus ſanctus ita loquatur.

VNAM, vt oſtendat quàm arcta ſit noſtra cum Chriſto coniunctio per fidem. Nihil enim magis nobiſcum coaleſcit quàm cibus & potus, ſine quibus nemo poſſit hanc vitam tranſigere.

ALTERAM, quæ locum habet propriè in Sacramentis, vt hac ratione oſtendatur quàm verax ſit Dominus in re ipſa tradenda, quam ſymbolis, quaſi pignoribus quibuſdā adhibitis, promittit. Inde enim fit, vt quū ſola ſym-

bola

bola manu accipiãtur, & ore ſumãtur, tamẽ illud quoq; quod præter ſymbola verè offertur, & ſola fide ſpiritualiter percipitur, Accipi, Comedi, Bibi dicatur. Hanc etiã ob cauſã agnoſcimus ſanctos Patres alias nõ diſsimiles multas loquendi formulas vſurpaſſe, quas tamen ipſi nunc temerè vſurpare nolimus, & commodis interpretationibus leniendas arbitramur, propter errores à Satana ſparſos, & controuerſias multas hac occaſione in Eccleſia Dei excitatas.

12 *Quomodo illa verba explicanda ſunt,* Hoc eſt corpus meum:&, Hic eſt *ſanguis meus?*

Hoc, id eſt, hic panis, & hoc vinum, EST, Sacramentaliter videlicet (neque enim quicquid eſt aliquid, vno modo eſt, & de Sacramẽtis hîc agitur) Sacramentaliter autem explicamus, quatenus Dominus verè non nudum panem & vinum, ſed vera ſymbola corporis & ſanguinis ſui: neque hæc tantùm ſymbola, ſed etiam præter illa, corpus ſuum & ſanguinem nobis offert fruendum ac poſsidendum in vitam æternam, quam ex eo nobiſcum cõmunicato haurimus.

CORPVS MEVM ET SANGVIS MEVS &c. Id eſt non imaginarium aliquod corpus, nec fictus ſanguis, ſed illud ipſum corpꝰ quod traditum eſt pro nobis, & ille ipſe ſanguis pro nobis fuſus, quorum ſimus verè per fidem participes, ſicut ſymbola verè teſtantur.

13 Quid ſumunt infideles?

SACRAMENTI inſtitutionem concordi ſententia docemus à Dei veritate pendere, ac proinde in ipſa actione Cœnæ Domini ritè celebratæ panem ſemper eſſe verum ſymbolum corporis, & vinum verum ſymbolum ſanguinis Domini, quibuſcunque offerantur.

QVOD autem inde colligunt nonnulli, quoſuis etiam ſumere totum ſacramentum, non poſſumus concedere.

NEQVE enim valet conſecutio, Deus offert quibuſuis, ergo quiuis ſumunt.

SED è cõtrario ita colligimus, Deus offert duo in Sacramẽto, & quidem tam verè vnum, quàm alterum: ſed prorſus diuerſis modis & inſtrumentis ſumenda, nempe externa ſymbola corporaliter, rem ipſam ſpiritualiter per fidem. Itaque quoniam os affertur à quibuſuis, quiuis externa ſymbola ſumunt, alii quidem dignè, alii verò indigné.

Os autem fidei, quoniam ſoli fideles afferunt, ideò ſoli fideles rem ipſam percipiunt, ac proinde vitam æternam. Infideles verò iudicium ſibi manducant & bibunt, quia non diiudicant; id eſt, aſpernantur ac reiiciũt corpus Domini oblatum, neque vllam eius rationem habent. Itaque hæc eorum condemnatio non manat ex corpore & ſanguine Domini indignè ſumptis, (quum enim illa non niſi fide ſumantur, nunquam ſumuntur indignè, & non

poſſunt

poſſunt non eſſe viuifica) ſed ex corpore & ſanguine Domini ideò contẽptis ac reiectis, quòd nec panis vt panis, ſed vt ſymbolum corporis Domini: nec vinum vt vinum, ſed vt ſymbolum ſanguinis Domini, in hac actione meritò cõſideretur. Hinc igitur fit, vt qui hunc panem vel hoc vinum indignè, id eſt, abſque fide ſumit, non panem nec vinum, ſed corpus & ſanguinem Domini, in his ſymbolis aſpernetur, ac proinde ſit corporis & ſanguinis Domini reus, non quę ſumpſerit, ſed quorum rationem nullam habuerit.

NEQVE enim Chriſtus viuificat eos omnes, quibus offertur, ſiue in verbo ſimplici, ſiue in Sacramentis, ſed omnes quidem viuificat à quibus percipitur, quoniam à ſolis fidelibus percipi poteſt: omnes autem iudicat à quibus reiicitur, tantùm abeſt vt ab eis ſumatur.

POSSET tamẽ vtcũq;, propter nõnullos ex Patribus, tolerari hoc dictũ, Corpus Chriſti ſumi à quibuſuis, & à fidelib9 quidẽ dignè, ad vitam: ab infidelibus autẽ indignè, ad iudiciũ. Sed neceſſariò addẽda eſſet interpretatio, quæ hoc verum eſſe doceat, quatenus rei ſignatæ, id eſt Corporis nomen ad ipſa ſigna transfertur: vt nimirum hac locutione oſtẽdatur propriè non quid quiſque ſumat, ſed quid cuique pro ſua bonitate offerat Dominus.

Concluſio.

HAEC eſt ſumma eorum quæ in noſtris

Eccleſiis docentur de re Sacramentaria, quã-
tum quidem colligere potui.

CVPIMVS autem, vt Eccleſiarũ paci con ſulatur, omnes formulas in Scripturis inuſitatas, quoad eius fieri poteſt, vitari, &, ſi quid docendi gratia nouãdum videbitur, omnem ambiguitatem tolli.

QVOD ſi quid in hac doctrina oſtendi poſſit non eſſe verbo Dei conſentaneum, parati ſumus non tantùm doceri, ſed etiam doctoribus agere gratias ſicut par eſt, vt tãdem (quod Deus nobis teſtis eſt nos toto animo, & dies & noctes ab ipſius miſericordia flagitare) vnũ in eo penitus ſentiamus.

HIs poſitis iam audiamus boni illius Illyrici Demonſtrationes.

Ad primam demonſtrationem.

Prior pars verborum Chriſti, nempe HOC EST *corpus meum, ipſam eſſentiam Sacramenti deſcribit, ipſo etiam Caluino teſte: altera verò, nempe* QVOD PRO *vobis traditur, eius vſum ac effectum. Fœde igitur aduerſarii fructum huius Sacramenti nempe ſpiritualem fruitionẽ Chriſti in ipſam eſſentiam Sacramenti, nempe in verba,* HOC EST *corpus meum, violenter corruptis verbis, intrudunt.*

RESPONDEO Illyricũ in ipſo limine turpiter impingere. Primùm enim, quum, vel ipſo teſte,

teſte, D. Caluinus corpus ipſum ab eius fructu inde ad nos perueniente diſtinguat, deprehenditur Illyricus in manifeſta calumnia. Deinde quis pręter iſtum ignorat appellatione fructus interdum res ipſas quas aliquis ſit nactus, aliquãdo verò vtilitatem quam ex iis rebus percipiat, communi loquendi ratione declarari? Poſtremò ſi Illyrico credimus, habendus nobis erit Paulus ipſe pro teſtamenti Domini corruptore, qui panem quem frangimus non corpus Domini, ſed corporis Domini communicationẽ vocat. Verùm maneat potius Paulo ſua authoritas, & Illyricus inſignis ſycophanta à pueris etiam ipſis habeatur.

Ad II.

Si hæc verba, HOC EST corpus meum per metonymiam idem declarant, atque hoc eſt ſignum corporis mei, neutra manducatio corporis Chriſti, nec corporalis, nec ſpiritualis illic inſtitueretur, aut præciperetur, ſed tantùm ſigni manducatio. Verba enim illa hoc modo intellecta non corpus, ſed ſignũ tantùm corporis pollicentur.

RESPONDEO rurſus calumniatorem deprehendi Illyricum. Nec enim ignorat, quod vbique ſolemus inculcare, Sacramenta videlicet ſic eſſe Chriſti ſigna, vt Chriſtus ipſe quanuis ſpiritualiter, tamen non minus verè & certò offeratur, & à credentibus percipiatur, quàm ipſa ſymbola corporaliter ſu-

muntur. Deinde non demonſtratiuam, ſed planè Sophiſticam hanc conſecutionem eſſe dico, Præbetur panis vt corporis ſignum, ergo tantùm ſignum datur. Nam è contrario ſic fuit colligendum, Datur panis vt corporis Chriſti Sacramentum, id eſt efficax, & cum ipſius rei veritate coniunctum ſignum: Ergo etiam datur corpus, quanuis illud quidem corporaliter, iſtud verò ſpiritualiter.

HANC reſponſionem non ignorauit Illyricus, vt, ſeipſo teſte, manifeſtæ calumniæ arguatur. Sic autem reſpondet. *Quæ vos effugia & quas eluſiones veritatis quæratis, non valde magni momenti eſt pernoſcere.* En vnam, lector ex euidentiſsimis Illyrici demonſtrationibus. *Præterea*, inquit, *non erunt nuda ſigna ſi quidem ſua ſignificata, nempe ſpiritualem fruitionem Chriſti, credentibus afferent.*

LOQVAR autem paulò planius quàm ipſe faciat. Voluit hoc dictum Illyricus, nos, quum dicimus ſigna non eſſe nuda aut vacua, præſtigias lectoribus facere, vt qui non ipſum corpus Chriſti, ſed tantùm eius ſpiritualem fruitionem pro re Sacramenti ponamus. Quaſi verò frui Chriſto

ſto poſsit qui Chriſto ipſo non potitur, aut quaſi ſenties millies non ſit à nobis hoc repetitum, atque adeò in Conſenſus formula non ſit diſertè expreſſum, oportere nos, vt Chriſtus ſuos in nobis effectus proferat, vnum cum ipſo effici, & in eius corpus coaleſcere, quia non aliter vitam in nos ſuam diffundit, niſi dum caput noſtrum eſt.

Ad III.

QVALE eſt dare, tale eſt & accipere. Non poteſt autem negari quin illa verba accepit, fregit, dedit, de externa actione intelligenda ſint: neceſſariò igitur etiam iſta, Accipite, comedite, bibite, de externa acceptione eſu, ac potatione dati aut porrecti intelligenda ſunt. At Chriſtus de illo ipſo in externum eſum ac potum dato, & ab Apoſtolis accepto aſſerit, quod ſit corpus ac ſanguinis eius. Et Paulus diſerte dicit panis fractionem eſſe communionem corporis Chriſti, & poculi benedictionem aut hauſtionem eſſe participationem ſanguinis eius: quod dictum arctiſsimè illa duo inter ſe connectit, tanquam ſubiectum & prædicatum, ac ſi diceretur, ſumptio aut eſus panis eſt ſumptio corporis, & hauſtio calicis eſt ſumptio ſanguinis Chriſti.

HAEC Illyricus non addita egregiæ ſuæ demonſtrationis concluſione. An quia eius ipſum pudebat? addam igitur vt magis etiam pudeat. Ergo exterius ſiue externa actione datur, & accipitur ore & manibus, ipſum corpus & ipſe ſanguis Chriſti.

SED quid fiet FRANGENDI verbo Illyricè? Chriſti corpus ſcilicet etiam realiter & ſubſtantialiter externa actione in fruſta comminuitur: cui malo vt occurreretis, ſuſtuliſtis ex veſtris Eccleſiis panis fractionẽ: non Chriſtum qui dixit HOC FACITE, non Paulum qui dicit PANIS QVEM FRANGIMVS, ſed Papiſtarum veſtigia & pudendos errores ſecuti. Deinde quouſque obſecro externam iſtam corporis ſumptionem protenditis? eò vſque nimirum, vt etiam dentes realiter ipſi corpori infigi & re ipſa deglutiri Chriſti ſubſtãtiam dentibus attritam, cum Chriſtianiſsimo illo Papa Nicolao aduerſus Berengariũ doceatis & credatis. Nam alioqui vbi veſtra illa corporalis manducatio? Hæc autem tuę demonſtrationis commenta quid attinet pluribus refutare? Res verò ita ſe habet. Quicquid corporaliter ſacris illis non tãtùm ſymbolis, ſed etiam ritibus in illa myſtica actione ex Chriſti ipſius mandato ſignificatur, ſpiritualiter intus in credẽtium cordibus præſtatur, ac proinde dubium non eſt, quin illud ipſum

ipſum corpus quod crucis doloribus pro nobis fractum eſt,& ſanguis ille pro nobis effuſus veriſsimè nobis ſecundùm Chriſti promiſſionem ſpirituali modo, ſicut corporalia illa externis noſtri ſenſibus teſtantur, nobis in vitam æternam donentur:ac proinde ab omnibus fide promiſſionem cum Sacramento amplectētibus,ſpirituali etiam modo percipiātur. Hęc autē corporis & ſanguinis Chriſti & cum ſacris illis ſymbolis ac ritibus, & nobiſcum coniunctio,non magis requirit realem aliquam præſentiam, ſic vt quo loco vnum eſt ſit etiam alterum,quàm neceſſe eſt, vt ſi mihi Geneuæ degēti fundus aliquis in Saxonia ſitus, addita glebæ traditione,donetur, vel fundus ille re ipſa præſens Geneuæ ſiſtatur, vel Beza in Saxoniam tranſportetur. Poſtremò falſarium eſſe Illyricum dico. Nec enim dicit Paulus,Panis fractionē,ſed ipſum panem qui frangitur eſſe communionem corporis Chriſti,id eſt illud, quo ritè interueniente, Chriſti corpus nobis communicatur.

NAM panis ipſe & eius fractio, quæ duo confundit Illyricus, ſunt prorſus res diuerſæ, & diuerſo vſui in hac actione adhibentur:panis videlicet ad ipſum Chriſti corpus Sacramentaliter,id eſt,verè & efficaciter ſignificandum:fractio autem panis ad crucis

Chriſti cruciatus noſtris oculis velut ſubiiciendos. En rurſus quàm egregius ſit demonſtrator Illyricus.

Ad IIII.

IN his categóricis enunciationibus τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου & τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου ſubiectũ aperte digito demonſtratur, & prædicatum vtrumque perſpicuo nomine nominatur, addito etiam articulo τὸ, & adiuncta circunſcriptione, nempe τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, ſiue κλώμενον, & τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Quare veluti catenis quibuſdam conſtringitur lector, vt vtrunque terminum huius propoſitionis proprie accipiat, volens nolens.

APPOSITA certe & valde nobis formidabilis demonſtratio: quaſi inter nos, vel de ſubiecto vel de prædicato quæratur, ac non potius de ipſa copula, ſiueſqua ratione corporis nomen pani attribuatur. Vide igitur tandem Illyrice quàm procul à ſcopo aberres. Neque dubitauimus vnquam, neque dubitamus quin demonſtratiuum pronomen, HOC, demonſtret pro ſubiecto panem, non vulgarem quidem ſeu communem, ſed quod ad vſum attinet, ſanctificatum, eâdem alioqui & immota manente naturali eius ſubſtantia. Non dubitamus etiam quin corporis appellatione illud ipſum pro nobis aſſumptum & crucifixum corpus declaretur. Quod ſi qui ex noſtris, huius contentionis initio, paulò aliter ſunt locuti, ſcito nunquam

quam id eſſe factum vt à Cœna ipſum Chriſti corpus excluderetur, ſed vt quorſum corpus illud detur omnes intelligerent, nempe non vt permiſceātur ſubſtantię, ſed vt vnum cum eo facti, omnia ex ipſo hauriamus. Verùm qua ratione panis ille ſit ac dicatur Chriſti corpus, id demum quæritur.

PAPISTAE igitur τὸ ῥητὸν mordicus retinentes, volunt ſubſtantiam ſubſtantiæ ceſsiſſe: ac proinde panem dici, non qui panis ſit, ſed qui panis fuerit, & poſtea verborum, quæ operatoria vocant, efficacia in corpus Chriſti tranſubſtantiatus. In quo diabolico dogmate tria in primis reprehendimus: Vnum, quòd contra fidei analogiam tollat carnis Chriſti veritatem: alterum, quòd niſi maneat ſanctificati panis ſubſtantia, nihil ſuperſit quod Sacramentum verè dici poſsit: Tertium, quòd Magicum ſit non Chriſtianum, certorum verborum pronūciationi efficaciam hanc tribuere. Vos autem vultis panem dici corpus, quoniam in ſub, vel cum pane realiter & ſubſtantialiter ſit corpus: quod & ipſum dogma affirmamus carnis Chriſti veritatem non minus quàm Papiſticum illud commentum prorſus tollere. Itaque panē dicimus nec tranſubſtantiatione, nec conſubſtantiatione (quæ portenta Satan ad abolendam carnis Chriſti verita-

tem in Eccleſiā inuexit) ſed Sacramentali cō-iunctione verè eſſe ac dici Chriſti corpus. Hanc autem coniunctionem quomodo partim ex Scripturæ teſtimoniis, partim ex veteris purioris Eccleſiæ ſententia definiamus, paulò antè declarauimus. Illud verò non tantùm abſurdum, ſed etiam ridiculum eſt, quum hanc propoſitionē HOC, id eſt, hic panis eſt corpus meū ſentiatis idem valere atque in, ſub vel cum hoc pane eſt corpus meum, vos tamen videri velle τὸ ῥητὸν abſque vllo tropo, non minus quàm ipſos Papiſtas, retinere. Hoc, inquā, Illyrice & abſurdum & ridiculum eſt, ideóque ingenuè fecit Brentius, quum hanc enuntiationem ſic explicari ſine Synecdoches tropo non poſſe confeſſus eſt, & quia dogma illud de reali & eſſentiali carnis præſentia ſtare poſſe non videbat, niſi poſita carnis vbiquitate ſiue omnipræſentia, apertè cœpit illam cum Eutychete profiteri. Nos verò, Dei gratia qui ſit benedictus in ſecula, & conſuetam Scripturæ loquendi conſuetudinem, & fidei analogiam & eruditæ vetuſtatis, ipſáque adeo maximorum authorum Tertulliani, Auguſtini, Theodoreti & Vigilii verba ipſa ſecuti, eiuſmodi omnes Sacramentales locutiones ea Metonymiæ ſpecie explicandas docemus, qua fit vt rei ſignificatæ nomen ſignis ipſis tribuatur, nempe vt quicunque ſigna illa contemplatur, animum à rerum naturalium & corru-

ptibilium contemplatione auerſum ad res cæleſtes & æternas, quarum ſigna ſunt, conuertat. Viderint igitur Satanæ emiſſarii qui diſcordias alunt inter fratres, quid ſint aliquando coram Dei tribunali reſponſuri.

Ad V.

Deus mittit legatos ſuos Verbo ac Sacramentis inſtructos, quibus duobus organis efficaciter operans, excitat in cordibus piorum fidem, qua viciſsim ad Deum accedunt: deinde paſsionem & meritum Chriſti apud thronum gratiæ eius conſequuntur, aut Chriſto eiuſq; paſsione fruuntur: poſtremò renouantur, ac denique in vitam gloriámque æternam transferuntur. Verbum igitur & Sacramentum non ſunt propriè, ſi ipſam eorum eſſentiam conſideres, ipſa ſpiritualia bona aut meritum Chriſti, ſeu ſpiritualis manducatio carnis aut paſsionis Chriſti, vt iſti contendunt, ſed excitant in nobis fidem, eíque vnicum Dei Agnum peccata mundi tollentem monſtrant, ac nos deducunt ad gratiæ tribunal, vt ibi ſpiritualem victum conſequamur, eóque perfruamur. Sicque ratione effectus, non autem eſſentia ſuæ ſurſum corda abducunt.

Obsecro verò, lector, quis Illyricum exiſtimet ſobrium iſta ſcripſiſſe? Nam ſi de effectu Sacramentorum agitur, quis vnquam ex Cinglianis aut Caluiniſtis, vt iſti vocant, ita parcè, ita ieiunè ac tenuiter de Sacramentorum vſu & fine eſt locutus? Præterit enim certè

quod primarium ac præcipuum eſt, ipſius nimirum Chriſti communicationem. Deinde quis non videt iſtum, vt vertiginoſi ſolent, ſeipſum conſcindere? Nam ſi vera ſunt quæ dicit, Sacramenta ſolis fidelibus erunt Sacramenta, quum non poſsit in aliis quàm in piis excitari fides. Quòd ſi, vt ipſe imprudēter quidem, ſed verè teſtatur, fide ad Deum accedimus, vt poſtea Chriſto eiúſque paſsione fruamur: certè illud conſequitur, vt qui fidem non habent, neque ad Deũ accedere, nec Chriſto frui poſsint. Vbi igitur illa corporis & ſanguinis Chriſti communicatio dignis & indignis communis? niſi fortè exiſtimat Illyricus aliquos fieri Chriſti participes, qui tamen ad Deum non accedant. Deinde quæ hæc fabula eſt? Quis enim noſtrûm vnquam dixit Verbum aut Sacramenta eſſe ipſa ſpiritualia bona quæ ex Chriſto haurimus? ac non potius ſubſtantiam ipſam & Verbi & Sacramentorum eſſe Chriſtum ipſum, in quo per fidem apprehenſo vitam æternam conſequamur? Deinde cuiuſmodi eſt illud dictum, Sacramenta ratione ſui effectus, non autem eſſentiæ ſuæ ſurſum corda abducere? Vnde enim hæc efficacia Sacramentorum, niſi ex eo ipſo cuius ſunt Sacramenta? Sed hæc quidem ſunt plus ſatis.

Ad VI.

Recordari paſsionis Domini eſt idem quod eam credere aut fide amplecti. Certum eſt autem non ſpiritualia beneficia nos ad recordationem aut memoriam paſsionis Chriſti ductare, ſed contrà, notitiam aut recordationem paſsionis Chriſti nos ad percipiendos eius fructus deducere. Spiritualis ergo manducatio aut fruitio corporis Chriſti non ante memoriam ſeu fidem (vt iſti eam collocant) ſed poſt memoriam in ſacroſancto Teſtamento collocanda eſt, tanquam vltimus effectus aut fructus Sacramenti. Memoria enim paſsionis præcedit meriti perceptionem, non contrà.

RESPONDEO me Bezam eſſe, non Oedipum. Diuinabo tamen in his ænigmatibus quantum licebit. Recordatio & fides Illyrico idem declarant. atqui noua nobis & planè παραδόξῳ demonſtratione opus eſt, vt nobis perſuadeat Illyricus aliquem poſſe eius rei recordari, quam prius non didicerit. Iam verò quum ea quæ Dei ſunt fide diſcamus, quis non videt ineptias illas ab homine mentis compote proficiſci nunquam potuiſſe? Deinde cuiuſmodi illud eſt, ſpiritualia beneficia nos ad recordationem aut memoriam paſsionis Chriſti non ductare? Primùm enim quomodo paſsionẽ Chriſti recordabimur, niſi prius ſit nobis datum illam audire, intelligere & credere?

Et quomodo erimus beneficii accepti memores quod prius non acceperimus? Poſtremò neminem adhuc inuentum eſſe opinor, qui Chriſti fruitionem ante fidem collocarit. Sacramenta verò idcirco eſſe inſtituta, vt ipſum Chriſtum & eius beneficia in noſtris mentibus obſignent, ſi negat Illyricus, reſpondemus nos Spiritui ſancto per os Pauli loquenti, potius quàm cuiquam etiam Angelo nedum homini, nedum Illyrico, cuius nomen apud ipſas Eccleſias fœtet quarum videri vult patronus, aſſentiri.

Ad VII & VIII.

Omnis notitia boni, eſt aditus quidam ad conſequendum agnitum bonum. Sic memoria eſt via ad ſpiritualem manducationem. Falſò igitur ante memoriam aut notitiam ponunt aduerſarii ſpiritualem fruitionem Chriſti. Reſpiciantur in hoc argumento vocula in vel ad.

RESPONDEO rurſus inſanire Illyricum, qui fidem & ἀνάμνησιν pro vno & eodem accipiat. Sed quum iubeat Dominus manducari hunc panem ad ſui recordationẽ, quæritur an manducàtionem oporteat huic recordationi præire. Ratio dubitandi hæc eſt, quia ſi fide manducatur Chriſti corpus, & nemo hanc fidem habere poteſt in Cœna Domini, quin credendo, ſimul eius rei quam credit recordetur:

tur: videtur omnino recordatio, vt & fides, manducationi præire, quum tamen iubeat Dominus corpus ſuum manducari ad ſui recordationem. Sed facilis eſt reſponſio. Sicut enim fides quanuis præeat manducationi, tamen illa manducatione fouetur & augeſcit, adeóque obſignatur in nobis, ita & recordatio. nec alius eſt ſenſus horum verborum, AD MEI RECORDATIONEM. Vtrumque autem ideò fit in nobis, quoniam eò arctius per Sacramentorum vſum Chriſto inſerimur.

Ad IX.

Per notiora & craſſiora, ad nobis ignotiora & obſcuriora à Spiritu ſancto optimo docendi magiſtro deducimur. Sic omnia Sacramenta ſunt quiddam craſſius, aut corporalius ipſis adiunctis promiſſis bonis aut beneficiis quæ fide ſunt apprehendenda. Externa ergo quædam craſſior manducatio & hauſtio corporis Domini, non interna, in illis verbis Sacramenti Edite, Bibite, eis proponitur.

CONSTITVIT his verbis Illyricus duplicem corporis Chriſti manducationem, vnam videlicet externam, alteram internam. Si corpus Domini metonymicè vocet ipſum ſignum, concedo quod dicit, & externam Sacramenti manducationem idcirco inſtitutam eſſe dico, vt intus fide externis ſymbolis excitata, eò arctius & efficacius cum Chriſto ipſo co-

pulemur. Sin verò per corpus, rem ipſam intelligit, probet ſuum commentum, alioqui ſciat ſophiſticum eſſe, illud ipſum de quo quęritur in diſputando aſſumere.

Ad X.

Finis ſuo modo eſt præſtantior ſuo medio aut inſtrumento, ſed nihil eſt pretioſius ſpirituali manducatione ac fruitione corporis Chriſti, vtpote quæ eſt ipſiſſima vita, ac felicitas noſtra ſumma. Igitur ſpiritualis manducatio corporis Chriſti non eſt medium inſtrumentum perceptionis beneficiorum Chriſti eoq́; in eſſentia Sacramenti collocari minime debet, ſed in effectu.

RESPONDEO hæc omnia puerilibus paralogiſmis ſcatere. Primùm enim rem Sacramenti interdū vocamus illud ipſum cui ſignificādo adhibetur ſymbolum externum. Et hoc reſpectu, propriè loquendo, rem Sacramenti eſſe dicimus ipſum corpus & ipſum ſanguinē Chriſti, ſiue ipſum Chriſtum, non autem eius bonorum perceptionem, quia non dixit Dominus, hoc eſt efficacia mortis meæ, ſed hoc eſt corpus meum quod traditur pro vobis. Interdum verò rem Sacramenti generaliter vocamus totū id cuius cauſa illa actio eſt à Chriſto inſtituta. Hoc igitur reſpectu panem hunc cum Paulo, eſſe dicimus communicationem corporis, Chriſti, quam etiam ſpiritualem mā-ducationem & fruitionem corporis Chriſti

vocamus.

vocamus. Prætcrea nomē Manducationis dupliciter accipitur: interdum quidem vt actio, quo ſenſu non dicimus manducationem Chriſti eſſe rem Sacramenti, cum ſit illud potius, quod agendo rem Sacramenti percipimus: interdum verò pro ipſo effectu, quo ſenſu quum Chriſtū manducaſſe nihil aliud declaret, quàm fide Chriſtum in Sacramento oblatum apprehēdiſſe, ſiue Chriſto incorporatum eſſe, ad vitam æternam ex eo hauriendam, cuius rei gratia tota hæc myſtica actio eſt à Chriſto inſtituta, iſtam Chriſti manducationem meritò illud eſſe dicimus quô externa illa omnia reſpiciunt. Poſtremò quum inter ſpiritualem manducationem Chriſti & vitam æternam non diſtinguit Illyricus, in hoc ipſo verè peccat, quod in nos falſò reprehendit: quum aliud ſit Chriſtus, aliud ſiue eius manducatio ſpiritualis, ſiue corporalis, ſiue quancunque imaginari velit: aliud denique ipſa felicitas & gloria, ſi ſingula propriè, vt ipſe vult, conſiderentur. En quò recidant futiles argutiæ.

Ad XI.

Rerum ordo diligenter obſeruandus eſt. Sacramenta porrò nos deducunt ad recordationem ſeu fidem. Fides vero ad mortem, vnde habemus ſpiritualem fruitionem Chriſti. Igitur peruertunt ordinem qui vltimum, nempe ſpiritualem fruitionem, aut manducationem primo loco collocant in ipſam eſſentiam Sacramenti.

Rvrsvm omnia confundit Illyricus, cui ſi credimus, corporalis ſiue externa, quam imaginatur carnis Chriſti manducatio præibit fidei, & fidem ſequetur ſpiritualis Chriſti perceptio. Atqui præterquã quòd rurſus recordationẽ cum fide ſtolidè confundit, corporalẽ illam manducationem prius probatã eſſe oportet, non autẽ tanquã δεδομένον aſſumere quod eſt ζητούμενον. Deinde quum monet Apoſtolus oportere vt primùm omnium probet ſeipſum homo, ac tum demum edat ex illo pane, quis non videt ſacram hanc actionem à fide inchoandam eſſe? Verum eſt tamen fidem ſic augeri & confirmari, quia nimirum ſicut Chriſtum apprehendimus fide, ſic etiam apprehenſum eadem quotidie augeſcente retinemus. Poſtremò ipſe ſibi monſtra fabricat Illyricus. Neque enim vt ſæpiſsimè iam dixi, fruitionem Chriſti, ſed ipſum Chriſtum, qui ſpiritualiter per fidem fruendus offertur, rem ſiue eſſentiam Sacramenti vocamus.

Ad XII.

In iſta locutione fide ſpiritualiter comedere corpus Chriſti, vel frui eo ad recordationẽ paſsionis illius, eſt inepta ταυτολογία, quum hæc ambo fide frui Chriſto, & ſpiritualiter meminiſſe paſsionis eius, ſint vna & eadem res deinde eſt etiam in iſta fœda balbutie contradictio, quia nihil fit in ſui ipſius memoriam.

Egre-

Egregie nimirum hæc quoque Illyricus, optimus ſcilicet docendi magiſter, dummodò ſuum antecedens probet, quod quidē faciet ad Calendas Græcas. Res autem ita ſe habet. Fide etiā in ſimplici & nudo verbo totum Chriſtum apprehendimus, quæ alioqui nos nunquam iuſtificaret nec ſeruaret. Quoniam autem tanti beneficii memoria facilè nobis effluit, & imbecilla noſtra fides aſſiduis adminiculis eget, idcirco myſteria hæc à Chriſto ſunt inſtituta, in quibus & Chriſtus ipſe quanuis à nobis ſupra cælos euectus, & eius ſacrificium quanuis iampridem peractum, & omnia eius beneficia quanuis ſpiritualia, oculis fidei noſtræ, veluti corporaliter, propoſitis illis externis tum ſymbolis, tū ritibus, contemplanda proponuntur: vt hoc modo & altius infigatur animis noſtris tantorum bonorum memoria, & fides nouis ſubinde collectis viribus nos magis ac magis Chriſto vnitos, ſimul efficiat omnium ipſius bonorum participes.

Ad XIII.

Media ſiue inſtrumenta quæ fidem antecedunt, communia ſunt piis & hypocritis. Nam fides primùm incipit illos diſtinguere. Itaque tot illa actio ſicut & prædicatio ſeu lectio verbi, vtriſque communis eſt, quæ fit ad memoriam, eámque antecedit quam eſſe fidem diximus, ſed vera piáque notitia, memoria ac fructus aut effectus, non item.

IAM mihi gratificandum eſt Illyrico, cuius totum argumentum concedo, ſi ſtolidam illã Fidei cum Memoria confuſionem excipias. Concedo, inquam, tibi Illyrice communia eſſe piis & hypocritis externa illa inſtrumenta id eſt verbi prædicationem & Sacramentorũ adminiſtrationẽ. Sed quod tu inde effici ſuſpicaris potius quàm dicis, nempe externam, quam tu ſomnias, corporis Chriſti perceptionem quiddam eſſe fidem antecedẽs, & piis ac hypocritis commune, tum demum nobis perſuaſeris, quum ſymbola, & rem per ſymbola ſignificata vnum & idem re ipſa eſſe probaris, quod nunquam certè facies, ne ſi in Papiſtarum quidem caſtra trãſieris. Sed vnũ præterea ex te quęro, cur pios & hypocritas, potius quàm pios & impios inter ſe committas. Nempe (niſi fortaſſe fallor in explicandis tuis iſtis non ſanè euidentiſsimis demonſtrationibus, ſed planè ænigmaticis næniis) vt eorum dogma ſequaris, qui quod olim ſentiebatis ſine exceptione omnibus dignis & indignis eſſe cõmune, tandẽ, ipſa veritate coacti hac addita acceſſione emollierunt, vt impios quidã fateantur nihil præter ſignum accipere: illam autem ab ipſis excogitatam, externam oris & dentium manducationem piis & hypocritis (id eſt, non ſatis vt par eſt dignè accedentibus) communem eſſe velint. Atqui ſtare hoc dogma cum reali illa & ſubſtantiali conſubſtan-

ſtantiatione nullo modo poteſt. Siquidē quę ſemper ſimul ſunt & dantur realiter & corporaliter, id eſt externis inſtrumētis, ore putà & manibus ſumenda, certè ab omnibus ſumātur neceſſe eſt qui manus & os afferūt, ſiue planè impii, ſiue hypocritæ tantùm fuerint. Sed de hac controuerſia, ſi libuerit, inter vos tranſigetis.

Ad XIIII.

Priores Sacramentarii voluerūt tantùm accipi in Cœna panem & vinum, non etiam corpus ac ſanguinem Domini.

NISI notus eſſet omnibus Illyricus, mirari poſſet aliquis rancidam iſtam calumniam à quoquam nunc reponi potuiſſe. Quoties enim, obſecro & ab ipſo D. Zuinglio, & ab aliis innumerabilibus veritatis patronis refutata eſt? Vnus ſit pro omnibus locus ex fidei expoſitione ad Galliæ Regem. *Aſſerimus*, inquit pię & ſanctæ memoriæ vir D. Zuinglius optimus ſuæ ſententiæ interpres, *non ſic carnaliter & craſſè manducari corpus Christi, vt iſti perhibent, ſed* VERVM CHRISTI CORPVS CREDIMVS *in Cœna Sacramentaliter & ſpiritualiter edi à religioſa fideli & ſancta mente, quod & D. Chryſoſtom⁹ ſentit, & hęc eſt breuis ſumma noſtrę, imò non noſtrę, ſed ipſius veritatis ſententiæ de hac controuerſia*. Hæc ille, quæ ſiue ab ipſo ſcripta neges, ſiue fatearis, Illyrice, an non dignus iam es quem nemo deinceps nec loquentem nec ſcribentem ferat?

Hui⁹, inquit, *erroris inſtaurator aut etiã corruptor Caluin⁹, duo contraria ſenſa ex iiſdẽ verbis violẽter conatur extorquere. Verba enim illa, Accipite, &c. modo vult metonymicè accipi, perinde ac ſi ſcriptũ eſſet, hoc eſt ſignũ corporis & ſanguinis mei: modò contrà vult ibi verum ac ſubſtantiale corpus ac ſanguinem dari, ſiue* ID QVOD IPSAMET VERBA SONANT. *Atqui cuiuſuis textus non niſi vnus, proprius, ac genuin⁹ ſenſus eſſe ſolet, ac poteſt.* Ergo *aut dicit Chriſtus ſe dare ſignum tantùm corporis ac ſanguinis ſui, quod vult illa Metonymia: aut contrà affirmat Dominus ſeſe, quod ſonant verba, ipſummet ſuum verum ac ſubſtantiale corpus ac ſanguinem dare, & ſic tantùm noſtra ſententia de ſubſtantiali præſentia & corporali ſumptione corporis Chriſti vtraque manu retinenda eſt. Volens ergo nolens cogitur in alterutro tantùm ſenſu perſiſtere: quod quum non faciat, pugnat tum cum textu, & eius authore, tum denique ſecum ipſe.*

OMISSIS conuiciis, (quis enim miretur Illyricum viuis & mortuis conuiciari?) ad rem veniam. Si ſignum dare corporis ſui & verum ſuũ corpus dare, ita ſunt inter ſe repugnãtia, vt vtrũque ſimul ſtare nõ poſſit, quid obſtabit quominus Illyricus ſuo ipſi⁹ gladio iuguletur, quo nos cõfodere voluit? Nã certè neceſſe eſt, vt vel ipſe apertè cum Papiſtis neget ſigna, id eſt panem & vinũ in Cœna præ-

beri

beri, aut ſi præter ſigna res etiã ipſas ſignifica tas verè dari cõfitetur, ipſum cõtra ſeſe ſententiam ferre, quum quæ optimè inter ſe conſentiunt vt contradictoria in nobis redarguit. Concedo igitur illi hanc verè eſſe euidentiſſimam non eius rei quam putat, ſed ipſius quam minimè animaduertit vanitatis & amẽtiæ demonſtrationem. Quid autem obſtat, dicet aliquis, quominus conſentiatis, quum vtraque & ſignum & rem ipſam dari fateamini? Hoc videlicet, quòd illi contra fidei analogiam de carnis Chriſti ſupra cælos extra omnia huius mundi ſpatia ſublatæ veritate, & contra Sacramentornm vſum qui ſpiritualis eſt, & ad ſpiritualem vitam nos deducit, rẽ ipſam id eſt Corpus & ſanguinem Chriſti ſtatuunt corporaliter & realiter vt ſigna ipſa corporalia manibus & ore ſumi: nos autem, ſeruata carnis Chriſti veritate, & retento verò Sacramentorum vſu, ſurſum animos attollentes, dicimus ſpiritualiter nobis dari, & per fidem non à corpore, ſed à noſtris mentibus percipi, quod corporalibus ſignis ac etiam ritibus adhibitis nobis Dominus promittit: corporis videlicet ac ſanguinis ſui non iam in terris ſed ſupra omnes cælos collocati communicationem, vt & ipſo, & omnibus ipſius bonis ad vitam æternam potiamur. En cur nos vt impia & abſurda ſentientes Illyricus allatret.

Ne tamen videatur nihil ſine ratione dixiſſe, quoniam nouit à nobis hanc calũniam ſic redargui, vt dicamus ſigna in rebus ſacris non eſſe nuda, ſed prꝑter ſigna rem etiã ipſam id eſt Chriſtũ ſpiritualiter per fidem percipiẽdum dari, primùm ſuo more conuiciatur, & hanc regulam clamitat arcẽ eſſe ſiue cauernã ſiue latibulũ, vnde per latrocinia Sophiſmatum in veritatẽ graſſemur: que quũ ſcriberet Illyricus, Dalmatiæ ſuæ fortaſſis meminerat. Deinde mirabili demõſtratione mẽdacii nos coarguit. *Dicimus*, inquit, *ſacramenta quantum ad ſuam eſſentiam aut cauſam formalem poſſe eſſe nuda ſigna, & poſtea ratione effectus aut fructus nihilominus ſua bona ſecum apportare*. Et mox, *Nequaquam nudum ſignum foret, etiam ſi tantùm panis & vini ſumptio inſtituta eßet, quãdoquidem illum tantum theſaurum beneficiorum Chriſti in poſteriore teſtamenti Domini parte ſecum afferret, & quaſi in tergo apportaret. Exemplo nobis ſit Sacramentum Baptiſmi, vbi primùm eſſentia eius eſt baptizari aqua in nomine Patris, ac poſtea effectus eius & promiſsio eſt, in remiſſionem peccatorum.* In *eo Sacramento aquæ lotio ſignificat nos ſic ſpiritualiter per hoc Sacramentum ablui ſanguine Chriſti ab omnibus peccatis. At non propterea neceſſe eſt ibi ſomniare ſubſtãtialis aut realis ſanguinis Chriſti verã realemq́ præſentiam, aut lotionẽ in ipſa eſſentia huius Sacramenti, quia id verba huius Sacra-*

cra-

cramenti non pollicentur. Nec tamē propterea Baptiſmus nudum ſignum aquæ aut lotionis eſt, quandoquidem(Deo *id agente*) *tantos in nobis theſauros operatur ac velut in tergo affert.*

HAEc ille: quæ non adſcripſi quaſi refutatione egeāt, ſed vt inſigne diuinę excęcationis exemplū in iſto miſero omnes contemplētur.

PRIMVM enim quòd eſſentiam ſiue rem ſiue materiam Sacramentorum cùm forma confundit, certum eſt læſæ mentis & erepti ſenſus communis argumentum.

DEINDE manifeſta eſt impietas, Sacramenta pro nudis ſignis habere, ſiue Sacramēti nomen accipias pro ſacra & myſtica tota actione, veluti quum duo eſſe dicimus Chriſtianæ Eccleſiæ ſacramēta, Baptiſmū & Cœnā Domini: ſiue pro ſymbolis & rebus ipſis ſimul ex inſtitutione Domini Sacramētaliter iūctis, quo ſenſu dicimus Euchariſtiā duabus rebus conſtare, vna terrena, altera cęleſti: ſiue denique pro ipſis duntaxat ſymbolis, veluti quum Sacramentū à quibuſuis accedentibus, rē autē Sacramēti à ſolis fidelibus ſumi. Quocūque, inquam, modo Sacramenti vocē accipias, nuda in ſeſe dici Sacramenta nō poſſunt, quoniā nunquā abſque re illa ne impiis quidem offeruntur, cui ſignificandę adhibentur: ideóque impii, quanuis rem cum ſigno, ſua culpa, non percipiant, tenentur tamen imprimis ſpretæ rei contemptu.

PRAETEREA quis eſt iſte ſtupor, poſtquam affirmaris Sacramenta poſſe eſſe nuda, ſtatī negare nuda fore ſigna etiāſi tātùm panis & vini ſumptio eſſet inſtituta? Quid verò quòd hoc quoque falſum eſt? Nam ſi ita eſſet id eſt ſi tātùm inſtituta eſſet panis & vini ſumptio, cui perſuaſerit Illyricus illam potuiſſe nobis theſauros Chriſti, vt ipſe loquitur, ſecum afferre?

POSTREMO quum Baptiſmi eſſentiam eſſe dicit Baptizari aqua, rurſus formam cum eſſentia ſtultè permiſcet. Res igitur ſiue ſubſtantia Baptiſmi, ſi extremam actionem reſpiciamus, eſt aqua: ſin verò internam, Chriſtus ipſe, vt & ſimplicis Verbi & alterius Sacramenti. Hallucinatur enim Illyricus, iſque omnes ex quibus hanc errorem hauſit, quum aliam realē præſentiā Chriſti in Cœna quàm in Baptiſmo imaginatur, quod alibi à noſtris & ex Dei verbo & ex veterum Orthodoxorum teſtimoniis eſt probatum. Tantùm in eo eſt diſcrimē, quòd in verbo Chriſtus ſimpliciter & abſque ſignis, in Baptiſmo verò vt lauacrum noſtrum, in Cœna denique vt ſpiritualis & viuificus cibus & potus nobis datur.

BENE eſt interea quòd ex ipſius Illyrici teſtimonio conſtat calumniatores eſſe omnibus modis quicunque dicunt nos nuda & vacua

cũa ſigna in Cœna conſtituere, inter quos quũ ſit & ipſemet Illyricus, age ſuo ipſius teſtimonio conuictus teneatur.

Ad XV.

Sacramenta ratione ſuæ eſſentiæ ſunt σφραγῖδες, id eſt ſigna promiſſæ iuſtificationis. Signum verò & ſignatum ſunt res diuerſæ. Ergo illa ſpiritualis manducatio non poteſt habere locum in deſcriptione ipſius eſſentiæ Sacramenti, nempe in verbis, Accipite, Comedite, &c.

RESPONDEO tot hîc eſſe pudendos errores quot ſunt vocabula. Primùm enim vt nihil dicam de eo quòd σφραγῖδας ſigna ambiguo vocabulo interpretatur, contra Pauli mentem, qui duobus vocabulis σημεῖον & σφραγῖδος eodem loco non temere vtitur: omnino ridiculum eſt quòd ſcribit Sacramẽta ratione ſuæ eſſentiæ dici σφραγῖδας: quũ ab vſu potius & effectu cui deſtinata ſunt, ſic nominẽtur, non autem à ſui eſſentia: ſiue ſymbola ſiue ſignificata ipſa ſpectemus. Quod igitur paulò antè dixi de Baptiſmo, de Cœna etiam dico: materiam videlicet externam horum Sacramentorum eſſe panem & vinum, rem autem & ſubſtantiam internam ſiue ſignificatam eſſe Chriſtum ipſum, cuius communicatio ſpiritualiter per fidem in credẽtium cordibus ſic velut im-

preſſo ſigillo obſignatur. Si hoc negat Illyricus, cum eodem Paulo litiget, qui in his paucis ſed verè precioſis verbis *Panis quem frangimus, &c.* tum eſſentiam, tum vſum ac finem præcipuum huius Sacramenti, planè ac perſpicuè explicauit. Fateor tamen, quod etiam ſuprà attigi, ſubſtantiam interdum & rem Sacramenti vocari quicquid inde fructus conſequimur, ſed hæc diſtinctio Illyricum nihil iuuat, qui hoc loco voluit eſſentiam ab effectu diſtinguere, quum neutrum tamen intellexerit.

ALTER error in eo poſitus eſt, quòd promiſſæ tantùm iuſtificationis meminerit, prætereito eo vnde ipſa iuſtificatio hauritur, Chriſto videlicet, cuius in primis nos fieri participes oportet, vt fiat nobis iuſtitia. Neque quicquam Illyricum ſubleuat Pauli authoritas, qui in illo Abrahami exemplo Sacramentariam cauſam ex profeſſo non tractat, ideóque eum demùm vſum ex multis ſelegit qui ad propoſitū argumentum, nempe ad probãdam gratuitam iuſtificationem, pertinebat.

PRAETEREA, quum prioribus verbis illis Accipite, Comedite, &c. dicamus & ſignum & rem ſignificatam, panem videlicet, & corpus per panem Sacramentaliter ſignificatum: ac præterea etiam quid nobis ex parte noſtra ſit agendum, declarari: poſterioribus verò illis,

Quod

Quod pro vobis traditur, &c. vſum ipſũ & fructum iſtarum rerum explicari, vbi hæc in doctrina noſtra perturbatio quam ſomniat Illyricus?

S E D quid poſtea ſubiiciat audiamus, vt quàm ſit iſtarum rerum peritus vel ipſi pueruli cognoſcant.

Ergo, inquit, *dicent illi fortaſſe, Si Sacramẽta ſunt ſigna, non ſunt ipſummet corpꝰ Chriſti aut eius perceptio. Reſpondeo. Sicut illa lotio externa eſt ſignum internæ ſimul & imputatæ ablutionis, que non eſt ipſa eſſentia Baptiſmi, ſed eius effectus: Sic & Sacramentalis externaue manducatio panis & corporis, vini & ſanguinis Domini, eſt ſignum, medium, inſtrumentum & memoriale ſpiritualis manducationis ſeu fruitionis Chriſti, ſicut ipſemet Chriſtus ſcopum aut finem aut rem ſignificatam huius Sacramenti dicit eſſe memoriam paſſionis. Itaque non eſt Sacramentum propriè ſignum ipſius corporis, ſed beneficiorum ex paſſione prouenientium, ſeu illius ſpiritualis fruitionis quæ fit per ſolam fidem.*

O B S E C R O verò an cuiquam Chriſtiano, nedum in Eccleſia Chriſtiana magiſtro potuerunt iſta excidiſſe? Centies iam inculcauit Illyricus, imò ab hoc ipſo exorſus eſt bellas iſtas demonſtrationes, quòd his verbis, H O C E S T corpus, &c. vſque ad verba, Q V O D

pro nobis traditur,eſſentia Sacramenti deſcribatur:nunc verò ſuiipſius oblitus,poſteriorem partem, id eſt memoriam paſsionis vult eſſe rem ſignificatam Sacramenti.

Solet perpetuò inculcare ſe τὸ ῥητὸν retinere. Atqui panis dicitur eſſe corpus,non memoria paſsionis corporis. An autem aliud eſt ESSE alicuius quàm ipſiuſmet ESSENTIA?

Sacramentum rectè definitur viſibile Verbum. At iſte ipſam corporis Chriſti manducationem non pro re ſed pro ſigno accipit: an verò audebit ipſe dicere non tantùm hunc panem, ſed etiam ipſum corpus viſibiliter edi? Nec tamen ignoro Auguſtinum quodam loco duplicem facere corporis Chriſti ſumptionem, vnam viſibilem, alteram inuiſibilem: ſed viſibilem ab eo vocari, ſymbolorum non autem rei ipſius reſpectu, nemo negare audebit niſi qui ipſum corpus eſſe viſibile in Cœna Domini dixerit.

Inter ſigna & res ſignificatas oportet eſſe analogiam, cuiuſmodi eſt planè diuiniſsima inter panem & corpus,inter vinum & ſanguinem,inter ritus illos externos & ea quæ intus præſtat Spiritus ſanctus: at inter corpus ipſum & beneficiorum Chriſti memoriam,quę tandem eſt Sacramentalis analogia? Sed dicet fortaſsis non corpus ipſum ſed corporis manduca-

ducationem à ſe poni pro ſigno. Hoc verò ſi exiſtimat, ſimili ratione non panis ipſe, ſed panis manducatio ſignum erit: aut ſi panem quidem fatetur eſſe ſignum, corpus verò non item, minus certè corpori tribuit in hac actione quàm pani.

Et cuius rei erit ſignum ipſe panis, ſi non eſt corporis ſignum? quod ſi corporis eſt ſignum, & corpus quoque ex Illyrici theologia eſt ſignum, quid aliud erit panis quàm Sacramenti Sacramentum?

Et quæ inſania eſſet id cuius manducatio ſignum ſit, ſignum eſſe negare?

Corpus ſiue humanam naturam Chriſti conſtat velut ſubiectum eſſe cui omnia illa beneficia inſint. Quis autem adeò vnquam inſaniit, vt ſubiectum diceret eſſe accidentium Sacramentum? Et quis erit tandem iſtiuſmodi ſtultitiæ finis?

Dicit Irenæus & quidem rectè, Euchariſtiam duabus rebus conſtare, vna terrena, altera cæleſti. Iam conſtituat Illyricus quo loco Chriſti corpus habeat. Nàm ſi rem terrenam eſſe vult, blaſphemus eſt. Supereſt ergo vt cæleſtem eſſe velit. Illud autem quo conſtat aliquid, neceſſe eſt vt eſſentiã eius eſſe fateatur. Eſt ergo duplex Sacramenti ſic accepti eſſentia, vna terrena, externa, viſibilis, putà panis & vinum, quæ ob eam cauſam Sacramenta

propriè id eſt viſibilia ſigna dicũtur:altera cę-leſtis, & noſtræ nunc ſoli menti per fidem viſibilis, nempe corpus & ſanguis Domini,quę hac cõparatione, non Sacramenta ſed Sacramentorum res dicuntur,ſiue res per Sacramenta ſignificatæ : & quemadmodum terrena non niſi corporaliter manibus & ore, ſic cæleſtia non niſi ſpiritualiter animo per fidem ſumuntur.

QVOD tamẽ dicit Illyricus externã mãducationẽ eſſe interioris ſignũ, veriſsimũ eſt rectè intellectũ. Neque enim dũtaxat panis & vinũ, ſed etiã omnes illi ritꝰ,fractio videlicet, datio, acceptio, manducatio, effuſio & hauſtio, myſticæ res ſunt,& ſua habent efficaciſsima ſignificata,adeò vt non multò minus peccarint qui auſi ſunt ſacris illis & ſubſtantialibus huius ſacræ actionis ritibus aliquid adiicere vel detrahere,quàm qui noua corporea ſigna ſunt commenti. Verùm præter illa quæ modò reprehẽdi,in eo quoque peccat Illyricus,quòd corporis quoque & ſanguinis externam mãducationem comminiſcitur.

Ad XVI.

Chriſtus omnia ſuæ paſsioni neceſſario coniuncta per ſe,in ſe,& per ſuum proprium verumque corpus peregit. Itaque verum natiuumque ſanguinem ac corpus ſuum nobis in ſacra Cœna impendit.

CON-

CONCEDIMVS omnia hæc, Illyrice, ſed clariore addita explicatione. Quoniam enim conſpicuus nobis factus eſt λόγος in carne, vt in ea & per eã peractis omnibus quæ ad noſtrĩ cum Deo reconciliationẽ ſpectant, ſeſe & ſua nobiſcum cõmunicãdo, nobis fieret Seruator, dico oportere nos in primis fieri ipſiuſmet participes, vt in ipſo vitam æternam cõſequamur. Quorſum hæc igitur aduerſum nos? nempe vt tuo ipſius teſtimonio, manifeſtæ calumnię cõuincaris. Interea verò tu videris in qua ſchola iſtam demonſtrationem didiceris, Datur nobis in Cœna verum corpus & natiuus ſanguis: Ergo corporalis & externa eſt eius manducatio, ac proinde impii ſunt qui ſpiritualiter tantùm Chriſti carnem manducari & Chriſti ſanguinem bibi docent.

Ad XVII.

Vetus Teſtamentum vmbris, ſignis, & vmbratilibus rebus ſancitum eſt. At nouum ipſa demum rerum ſignificatarum veritate & ſoliditate, ſicut diſertiſsimè Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos vrget, hoc fœdus multo meliore ſanguine ſancitum confirmatumq́ eſſe quàm illud prius. Scelerate ergo peruertitur ſacroſanctum Teſtamentum Chriſti, dum eius verba à vero ſanguine in typicum & figuratum violenter transferuntur.

HIc quoque ſe prodit tum craſsiſsima im-

ſcitia, tum incredibilis calumniandi libido, quod vt planius intelligi poſsit, breuibus perſtringam quod ſit in re Sacramentaria veteris & noui Teſtamenti diſcrimen, repetita eorum ſumma quæ aduerſus Heshuſium iam pridem demonſtraui.

Pono autem tria poſtulata. Vnum, nunquam niſi ex ſola gratia & miſericordia vllum hominem fuiſſe Deo conditori gratum. Alterum, nemini vnquam fuiſſe factam gratiã, niſi in vnico Mediatore Ieſu Chriſto. Tertiũ, Deũ nunquam eſſe homines ludificatum.

His poſitis, iam hoc ego ſuperſtruo, vtriuſque fœderis vnum eſſe authorem Deum, vnicam ſubſtantiam Chriſtum, vnicum finem gloriam Dei cum ſalute electorum coniunctam, ac proinde impios eſſe ac blaſphemos Sophiſtas, quum dicunt veteris fœderis Sacramenta (vt ipſi loquuntur) fuiſſe ſignificatiua, noui verò eſſe exhibitiua. Nam neque illa inaniter Chriſtum ſignificarunt: neque hæc abſque ſignis & ſymbolis eundẽ nobis offerunt. Itaque cõcludo vtrunque fœdus, vnicum eſſe & ſingulare fœdus, ſiue authorem, ſiue materiam ac ſubſtantiã ipſam internam, ſiue finẽ & ſcopum vtriuſque conſideres. Sola forma ſupereſt, quam ego genere eandem, circunſtantiis autem plurimùm fateor differre. Vtrobique enim & verbum & externa ſigna docendis hominibus, & obſignando in creden-

tibus

tib⁹ fœderi adhibētur,ac proinde forma vniuerſaliter & in genere eadē eſt,ſed iam audiamus circunſtantiarum diſcrimina. Quod ad verbum attinet,locutus eſt Deus patribus πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς,idque admodum plerunque obſcurè,nobis verò planiſsimè totum conſilium Dei à Filio eſt patefactum: & hîc quidem promittitur Chriſtus, adeò vt ad futuram clariorem reuelationem remittantur homines,hîc verò Chriſtus mundo exhibitus omnes promiſsiones adimplet.

Quod autē ad typos attinet & Sacramenta, Vetus teſtamentum penè habuit infinita, & alia quidem tēporaria (cuiuſmodi fuit tranſitus Maris rubri,nubes,manna, petra, & cætera eius generis)alia verò fixa & immota vſque ad noui fœderis promulgationem, cuiuſmodi fuit circunciſio & totus ille ceremonialis cultus. Fuerūt autē omnes iſti typi minimè inanes, vt pote quibus adiuncta fuit veritas,id eſt Chriſti venturi participatio:ſed vmbræ & figuræ vocantur,quoniam erant duntaxat Chriſti,& ipſius beneficiorū veluti συγγραφίαι,vt loquitur & copioſè explicat Chryſoſtomus. Neque enim in illis emicabat plenus ille lucis Euangelii fulgor,ſed erant veluti ſcintillæ dūtaxat in tenebris emicantes,quę Chriſtum verè quidem & ſatis efficaciter ad ſalutem commonſtrarēt,ſed eminus tamē,nec adhuc re ipſa apparentem. Nouum autem fœ

dus quum ſolem ipſum exortum nobis contẽ plandum præbeat, omnes illas figuras & vmbras quæ venturum ſolem prænuntiabant, ſuſtulit: habet tamen quædam Sacramenta propter imbecillitatem noſtram, re quidem paria veteribus, (vt inquit Auguſtinus, & manifeſtè Paulus oſtendit, quatenus videlicet idẽ Chriſtus in his & in illis ſignificatur) ſed ſignis diuerſa: numero pauciora, vtpote duo tãtùm: ſignificatione auguſtiora, virtute pręſtantiora. En igitur quatenus duo dicantur fuiſſe fœdera, quod ſit illorum diſcrimen, & quo ſenſu prius dicatur abrogatum.

HAEC autẽ ita ſe habere præterquã quòd res ipſa clamat, partim etiã rationibus neceſſariis, partim expreſsis teſtimoniis euincitur. An enim Patres ludificatus eſt Dominus? an fruſtranea eſt promiſsio, ERO DEVS TVVS? an verò in quoquam alio quàm in Chriſto rata eſſe potuit? Quid verò expreſsius quàm quòd dicitur Chriſt⁹ fuiſſe heri & hodie? Agnus ab origine mundi occiſus? Circunciſio σφραγὶς iuſtitię ex fide? Abraham vidiſſe diem Domini? quòd denique Patres in nube & mari baptizati fuerint, & in Mãna eandem atque nos eſcam ſpiritualem comederint, & ex petra eundem atque nos potum ſpiritualem hauſerint? quid denique quòd Apoſtolus rupem illam apertè Chriſtum fuiſſe, ſacramentaliter nimirùm, teſtatur?

TRIA

TRIA tamen hic nobis opponũt qui aliter ſentiunt. Fatentur enim quod ad Chriſti efficaciã & beneficiũ attinet, Veteres quoque per fidẽ fuiſſe eius participes, ac proinde hoc demum reſpectu dici re paria noſtris fuiſſe Veterũ Sacramenta: Chriſtũ autem ipſum realiter & ſubſtantialiter illis tum cõmunicatum fuiſſe negãt. Primùm, quia natura ipſa humana ſiue caro Chriſti nondũ extabat. Deinde, quia nõ temere dicit Paulus, Patres habuiſſe rerum futurarum vmbras, nos autem corpus. Tertiò, opponunt antitheſim illam vtriuſque fœderis in Epiſtola ad Hebræos copioſiſsimè explicatã, ad quę omnia ſic paucis reſpondeo.

CONCEDO igitur carnem Chriſti antequàm in vtero virginis cõciperetur nõ fuiſſe in rerum natura, verùm quominus propterea ſentiã Chriſti ipſius nõ fuiſſe patres factos participes, ſed tãtùm efficaciã Chriſti, multa impediũt Nã illud quoque quod nondum eſt in ſeſe, nihilominus & Deo promittẽti ac danti, cui futura omnia ſunt preſẽtia, & fidelib⁹ verbo Domini non ſecundùm carnis ſenſum ſed ſecundùm Spiritum credentibus eſt præſentiſſimum. Deinde & illud certum eſt, non poſſe nos alio iure frui Chriſti fructibus quàm quia ipſe noſter eſt: noſtrum autem Chriſtum fieri ex Patris dono neceſſe eſt. Perinde igitur faciunt qui Patres exiſtimant beneficiorum Chriſti non autem ipſius

Chriſti factos fuiſſe participes: acſi dicerent illos non fuiſſe Chriſti membra, & nihilominus ipſius ſpiritu & vita vixiſſe, ſiue (vt in Sacramētali locutione permaneamus) fuiſſe eius cibi vigore ſuſtētatos, quem tamē non comederint. Vidit Abraham, inquit Dominus, diem meum. An verò Chriſtū ipſum non vidit ſed eius tantum efficaciā qui diē eius vidit? & viſio iſta quid aliud eſt quàm fides, & ea quidem ad apprehendendum obiectum ipſum quàm efficaciſſima? Eādem eſcā comederunt, inquit Paulus, & eundem potū hauſerunt Patres. at qualem eſcam & potum? efficaciam Chriſti naſcituri, inquiunt iſti. Aſſentimur. Sed nutrimentum à cibo non eſſe ſeparandum docet Apoſtolus, quum illos nobiſcum in re ipſa componens, diſertè inquit, Petra autem erat Chriſtus.

Sic igitur ſtatuamus. Patres, quanuis tūc ipſo, vt aiunt, actu non ſint facti vnum cum ea carne quæ nondum erat in rerum natura: tamen quum & Deo danti & fidei accipienti ſint futura præſentiſsima, facti ſunt Chriſti ipſius venturi membra, ſiue Chriſti naſcituri, quod ad ius attinet, verè participes, vt in eo venturo & ipſi iuſtificarentur & ſanctificarentur. Nunquam enim in alio quàm in Filio illo primùm incarnando & promiſſo, deinde incarnato & exhibito acquieuit Pater: nec vllus vnquam in Filio iuſtificatus & ſanctificatus

tus eſt, quàm qui cum ipſo per fidem ſpiritualiter coaluit, adeò vt ſublata in eum inſitione nullus ex eo ſuccus ad nos poſſit dimanare. Tātùm in eo differentia eſt, quòd illi quidem initio Chriſto ipſo, iure tantùm promiſsionis & ſpei, nunc verò poſt illum mundo exhibitū & illi & nos de facto, vt aiunt, in vitam æternam potiamur.

QVOD autem ad vmbras & corpus attinet, cōparatiuè hoc eſt accipiendum, ne alioqui Deum putemus populo ſuo, vt Iouē illū poeticum Ixioni, nubes, id eſt inania quædam pro re firma & ſolida propoſuiſſe. Neque igitur vmbras illi habuerunt ſolidæ veritatis expertes: neque nos hodie corpus habemus abſque vllis Sacramētorum vmbris. Sed ſi comparetur eorum conditio cum noſtra, nos demū rem ipſam præſentem habemus, quoniam illi per ſpem pependerunt ab eo qui verè ac reipſa nobis eſt exhibitus.

DENIQVE ſciendum eſt quoties & in Epiſtola ad Hebræos & alibi ceremoniæ legales perinde vt res externæ & carnales extenuātur, tum eas ex aduerſariorum hypotheſi cēſeri, à Chriſto videlicet ſeparatas, quem vnum ſuis temporibus exhibendum tota illorum ſignorum vis reſpiciebat. Iſta igitur partim aduerſus eos dicta ſunt qui ſtultè rebus illis externis tribuebant, quod iam tum vnius erat

Chriſti per illas adumbrati: partim verò in eos etiam ſcripta, qui cum Chriſto exhibito ſtare poſſe credebant, quæ duntaxat ad illius venturi ſpem fouendam erant inſtituta. Ex his autem Chriſtum venturum iam tum non fuiſſe credentibus donatum, quanuis in futurum tempus reſpiceret eius exhibitio, nemo ſano iudicio præditus collegerit. Imò hoc ipſum quoque de noſtris Sacramentis dicere nunc licere, quòd videlicet per ſe extrinſecus ab eo quod ſignificant ſeparata nihil proſint, vtpote quæ ad animum vſque penetrare nō poſsint, tū illud Ioannis dictū probat, *Ego quidem baptizo vos aqua*, tum etiam illa apud Petrum exterioris & interioris ablutionis peruulgata diſtinctio: cuiuſmodi etiam illud eſt quod affirmat de corporis & ſanguinis Chriſti Sacramento Auguſtinus, Sacramētum à re Sacramenti, tractatu in Ioan. 26. & alibi paſſim rectè diſtinguens.

Ex his quāta ſit Illyrici in his rebus ignorātia cuius iam cōſtare puto, quibus & hoc addam, inſigni iniuria nos ab eo affici, quum verum ſanguinem comminiſcitur ſceleratè à nobis in typicū trāsferri. Neque enī in Cœna Domini vllum alium ſanguinem quàm illum ipſum pro nobis effuſum agnoſcimus, cuius Sacramētum ſit vinū. Imo etiam quanuis Baſilius & Theodoretus noſtra Sacramēta vocēt ἀντίτυπα, ídque ſignificatione aliquātulū diuerſa

diuerſa à Petri loco vbi Baptiſmum vocat liberationis ex diluuio ἀντίτυπον, & Ambroſius de calice myſtico loquens Typi nomen vſurpet: libenter tamē ab hoc vocabulo vt nimiū diluto abſtinemus, tantum abeſt vt veteris fœderis typos noſtris Sacramētis exęquemus. Ipſe verò Illyricus ipſius etiam corporis & ſanguinis manducationem externā ſtatuens pro interioris ſigno, viderit potius quomodo verum ſanguinem in typicum nō transformet.

Ad XVIII, XIX, & XX.

ILLYRICVS his tribus demōſtrationibus probare inſtituit verū Chriſti corpus & verū ſanguinē nobis cōmunicari, quoniam videlicet ipſo ſāguine agni Paſcalis qui typus erat noſtri veri Paſchæ, ſignabantur domus & poſtes. Item quoniā in fœderibus vtraque pars confœderandorum ipſas eiuſdem fœderalis victimæ carnes ipſumq; ſanguinē participabat: ac nominatim quidē in vetere fœdere cautum fuit, vt victimæ ſanguis in populū ipſiuſque adeò fœderis librum ſpargeretur.

HAEC omnia verò norit Illyricus aduerſū nos non dici qui veri corporis & ſanguinis, ipſiúſque adeò Chriſti communicationē quā diſertè ſtatuit Apoſtolꝰ, minimè inficiamur. Sed quod inde colligit, nēpe corporalē & externam eſſe iſtam κοινωνίαν, quam nos contrà ſpiritualē eſſe & ſola fide percipi affirmamus,

& in terris id realiter eſſe quod Scriptura nō niſi in cælis nunc eſſe teſtatur, tum demum credimus quum nobis fuerit ex Dei verbo demonſtratum.

Ad XXI.

IN hac demonſtratione multas paginas cōſumit Illyricus, vt oſtendat quomodo Corinthii indignè ad hunc panem & hoc vinum accederent, quòd nimirum hunc cibum & potum à vulgaribus non diſcernerent, ac ſi tantùm panis & vinum illis in Cœna Domini apponerentur, in quo etiam errore nos verſemur quos Sacramentarios vocat. Dein de multùm laborat, vt illam à Paulo inſtitutam tranſitus maris & nubis, itémque Mannæ & aquæ è petra profluentis cum noſtris Sacramentis collationem eneruet: quaſi videlicet quędam ſit duntaxat ſimilitudo, quòd illa non religionis ergò, ſed propriè externæ vtilitatis ac dignitatis cauſa, ſiue ad corporalem ſuſtentationem Iudæis data fuerint. Poſtea tandem colligit, ſicut illi tū digni tum indigni ſumpſerunt non tantùm carnalem ſed etiam ſpiritualem eſcam ac potum, nec tamen propterea omnes ſaluati ſunt: ſic etiam dignos & indignos non tantùm panem & vinum ſumere, ſed & corporis & ſanguinis Domini fieri participes.

RESPONDEO probabile non eſſe Corinthios ſaltem pleroſque adeò fuiſſe imperitos

vt

vt Sacramenta à rebus communibus nullo modo diſtinguerent:ſed in eo potius quod grauius etiam erat peccaſſe,quòd quum ſacras illas epulas ſcirent lõgè alterius rei cauſa quàm communia conuiuia à Domino inſtitutas eſſe, (nempe ad ſanciendam noſtrì cum capite noſtro Ieſu Chriſto coniunctionem, qui viſibilibus illis adhibitis ſymbolis ſeipſum nobis impertiat)tamen ad illas agapas,quarum pars erat Cœna Domini, nec fide nec charitate inſtructi,nec aliàs ritè comparati accederent.Inde verò Apoſtolus ſuo more ad generalẽ doctrinam de vſu & abuſu Cœnæ Domini trãſiturus,ipſam Domini inſtitutionem pro veri vſus norma & regula proponit. Non rectè igitur Illyricus iſta permiſcendo, diuerſas indignitatis ſpecies prætermiſit:& decimum caput illius Epiſtolæ cum vndecimo ſtultè connectendo,Corinthiis iniuriam fecit. Sit tamen ità,ſi libet, & adeò fuerint illi rudes & imperiti, vt ſomniauit Illyricus, quid hoc ad nos qui Chriſtum ipſum pro re Sacramentorũ ex verbo Dei ſtatuimus?

QVOD autem nugatur res illas non tam fuiſſe religionis ergò quàm terrenæ & corporalis vtilitatis cauſa Iſraelitis datas, quis tandem Illyrico credet, potius quàm Paulo ſpirituales illas vocanti,ipſiſque adeò petrę,nomen ipſius Chriſti tribuenti? imò quis iſtam pro-

ſanam Illyrici audaciam non execretur?

Postremò quòd tam dignis quàm indignis & illa quondam Iſraelitas, & iſta nunc nos percipere idcirco arbitratur, quòd eos etiã qui perierunt dicat Apoſtolus ſpiritualem illam eſcam ediſſe, & ſpiritualem illum potum ex petra quæ Chriſtus erat bibiſſe, verum quidem eſt, ſed longè alio ſenſu quàm putet Illyricus. Quum enim eſca illa & potus ſpirituales dicantur, quatenus Sacramenti non autem terreni vſus rationem habent: & Sacramẽta multis etiam indignè accedentibus, (quorum videlicet non eſt detecta indignitas) non minus quàm ritè accedentibus offerantur, meritò dicuntur hoc reſpectu vtrique tum digni tum indigni ſpiritualem eſcam & potum, id eſt Sacramẽta, quorum ſpiritualis non terrenus eſt vſus percipere. Sin verò per ſpiritualem eſcam & potum, non ſacra ipſa ſymbola, ſed res ipſas putà Chriſtum intelligamus, vt intellexit Illyricus: tum verò non minus abſurdum fuerit arbitrari incredulos rem illam ſpiritualẽ percipere, quàm ſi quis eum veſci cibo corporali dixerit, qui tamen nec ore vllo, nec dentibus, nullo denique ad eſum neceſſario organo ſit præditus.

Ad XXII, XXIII, XXIIII, & XXV.

Istis totidem vanitatis ſuæ demonſtrationi-

tionibus Illyricus conſtituit reprehendere ordinem cauſarum noſtræ ſalutis, vt eſt à fideli Chriſti ſeruo D. Ioanne Caluino ex Dei verbo ſanctè & conſtanter expoſitus. Solet igitur Caluinus primo loco ex gratuita Dei prædeſtinatione per efficacem vocationem patefacta, conſtituere fidem, per quam Chriſtũ ipſum in primis apprehendentes, ſiue noſtrum efficientes, deinde omnia poſtea ex eo in nobis habitãte hauriamus: quæ beneficia ad duo capita, iuſtificationem videlicet ac regenerationẽ reuocantur, vt hoc modo ad æternam ipſius gloriam ſeruemur.

Hic ordo ſic diſplicet Illyrico vt eum nullo modo ferre poſsit. Sed quibus rationibus eum oppugnet operęprętium eſt animaduertere.

Anteſignanus Sacramentariorum, inquit (nos autem omen libenter accipimus, quoniam inter Sacramentarios & Chriſtianos nullum diſcrimen animaduertimus) *vt tollat veram Sacramentalem ac corporalem manducationem corporis Chriſti ex verbis Cœnæ, ſpiritualem ſiue myſticam quandam ſubſtituit quæ deſcribitur Epheſ. 5. vt ſiamus caro, &c. atque hanc incorporationem facit medium aut inſtrumentum apprehendendi meriti Chriſti & iuſtificationis.*

Haec eſt accuſationis grauiſsimę ſummã,

in qua quis tandē non miretur accuſatori non veniſſe in mentē illud ipſum à ſe defendi quod in alio accuſat? Hoc enim eſt ipſius dogma, primùm omniū corporaliter ore manducari corpus illud ipſum Chriſti crucifixum, & ſanguinem illum pro nobis effuſum itidem corporaliter ore ipſo bibi, tum à dignis tum ab indignis: quam ſumptionem ſequatur in credentibus fruitio ſpiritualis omnium Chriſti beneficiorū, quam ipſe cum ſpirituali manducatione confundit. Hoc verò ſi ita eſt, an non docet hoc ipſum quod docemus, oportere videlicet vt priore loco fiamus ipſius corporis Chriſti, deinde verò ipſius beneficiorum participes? At enim dicet, Volo hanc manducationē eſſe corporalē, quā vos ſpiritualē eſſe dicitis. Hoc quidē verum eſt, ſed quum in re cōueniamus, nēpe ipſum Chriſtū ſumi: ſiue id corporaliter, id eſt corporali & externo modo fiat, vt vult Illyricus, ſiue ſpiritualiter, id eſt ſpirituali modo, & animo vera fide prædito, vt nos ſētimus: manet ſemper illud, credentes ante omnia fieri ipſius Chriſti participes, ſiue cum Chriſto ipſo antè coaleſcere quàm eius dona in ipſo conſequantur, ac proinde ex Illyrici quoque dogmate conſequi illud ipſum quod in nobis oppugnat.

Deinde vbi tandem apud D. Caluinum reperit noſtram cum Chriſto vnionem eſſe apprehendendi meriti Chriſti inſtrumentū? Neque

que enim certè ſic loqui ſolemus, quoniã ineptum eſt nomen inſtrumenti tribuere illi ipſi rei cui apprehendendę inſtrumentum adhibetur, id eſt fides & ea per quæ fidem in nobis S. Spiritus gignit ac fouet.

SED age, condonentur iſta. Audiamus quibus argumentis ſeipſum oppugnet.

PRIMVM clamitat Oſiandricum hoc eſſe delirium. Quaſi verò non ipſe D. Caluinus præ cæteris omnibus perſpicuè ac ſolidè inſani illius hominis portenta detexerit, refutarit, damnarit, tum de eſſentiali iuſtitia Dei quam ille præterita Chriſti ſecundùm carnem iuſtitia & obedientia conſtituit: tum de plenæ iuſtificationis nobis imputatæ & ſanctificationis in nobis inchoatæ diſcrimine ab eo ſublato: tum etiã de eſſentię Chriſti cum noſtra commixtione. Quæ ſi fortè in illius verè diuina & aurea inſtitutione legit Illyricus, lib. 2, cap. 11, à quinta ſectione ad decimam tertiam vſque, quis non mirabitur tantã hominis impudentiam? Sin verò non legit, quid eſt iſto accuſatore iniquius? Audiamus tamen quàm grauibus teſtimoniis illum ordinẽ impugnet, non qualem Oſiander ſed qualẽ ex verbo Dei Caluinus conſtituit.

Eph. 5, inquit, *vnde maximè probat ſuam myſticam manducationem primùm lauatur & mundatur Eccleſia: deinde demum ſiſtitur Chriſto vt glo-*

rioſa ſponſa, eiq́ coniungitur ſitq́ caro de carne eius, ſeu ipſo in ea habitante in illum incorporatur. Præcedit ergo remiſsio peccatorum & ablutio per ſanguinem Chriſti, ſiue iuſtificatio, iſtam inhabitationem, quæ eſt iuſtificationis effectus, ſicut Ezech. 16. plenius ſcribitur, vbi Chriſtus primùm inuenit eam deſertam & immundam, deinde eam educauit, mundauit, veſtiuit & ſibi tandem adiunxit.

Ergo ſi Illyrico credimus, prius iuſtificamur quàm Chriſtũ ipſum poſsideamus, adeò quidem vt iuſtificatio Chriſtum, non autem Chriſtus iuſtificationem nobis cõferat: ſitque adeò Chriſti ipſius datio effectum iuſtificationis, non autem iuſtificatio à Chriſto nobis dato proficiſcatur: prius denique iuſtificemur quàm fiamus Chriſti membra.

Qvid eſt autem furere ſi hoc non eſt? & quorſum hæc omnia Illyricus? vt doceat hæc verba Accipite, Comedite, Bibite, eſſe de propria & corporali manducatione intelligenda, vt apertè loquitur demonſtratione 24. Hoc verò ſi ita eſt, an non ipſemet purus & putus eſt Oſiandriſta, vt qui corpus corpori, ſubſtantiam ſubſtantiæ corporaliter & propriè coniungat? an non etiam manifeſtè à ſeipſo diſſentit, quum nunc præire iuſtificationi corporalem corporis manducationem velit, nunc verò iuſtificationem ſequi?

Antea

Antea enim, ac in primis demonſtratione nona, cenſuit externam iſtam & craſsiorem (vt ipſemet fatetur & loquitur) manducationem & hauſtionem corporis & ſanguinis Domini deducere nos ad internam, ſiue ſpiritualem ac ſubtiliorem, quæ ſit nimirum illius effectus. Aut igitur nos doceat Illyricus iuſtificationem non eſſe vnum ex Chriſti beneficiis quæ ſpiritualiter percipiantur: aut ſi ita eſſe fatetur, agnoſcat ſe iuſtificationē quam nunc maledicendi ſtudio, facit inhabitatione Chriſti priorem, paulò antè feciſſe corporali & craſſa manducatione poſteriorem: quod quidem tantò craſsius eſt eo quod nunc ipſe in nobis reprehendit, quantò corporalis ipſius modus eſt noſtro ſpirituali craſsior. Vnum tamen Illyrico effugium patet, vt qui omnino videatur manducationem corporalem ab inhabitationis ſiue incorporationis manducatione quam vocat, tanquam effectum à cauſa diſcernere. Sed rurſus, obſecro, cuius eſt iudicii quod corporaliter & realiter ore deglutitum in ventriculū traiiciatur, negare in illo ipſo corpore verſari tantiſper ſaltem dum inde excernatur? Et quæſo aperi nobis etiam hoc craſſum myſterium, Illyrice, quò tandem corpus illud corporaliter, vt tu vis, ab ipſis etiam indignis ſumptum euadat, quum id nihilominus nolis in iis inhabitare.

SED quum ad dignos ſiue fideles ventum eſt, quid hîc tandem prętexes? iſtos enim Chriſto incorporari, & quidem ab ipſo corporalis tuæ manducationis momento, qua tandem fronte negaueris? Vis autem poſtea demum ſequi beneficiorum perceptionem, inter quæ nō potes non recenſere iuſtificationem. Ergo te ipſo iudice inhabitatio & incorporatio iuſtificationem præcedit, quod tamen in nobis oppugnas. Imò verò iam etiam audi quod tibi longè magis nouum & peregrinum videbitur, & tamen veriſsimum eſt.

QVAERO ex te, Illyrice, primùm, an poſsit aliquis extra Eccleſiam ſeruari: deinde, an non quiſquis eſt in Eccleſia ſit Chriſti membrū & templum: tertiò, an non quiſquis credit, etiam ſi ſacram Cœnam, abſque tamen contemptu, nunquam participauit, in Eccleſia ac proinde Chriſti membrum cenſeatur. Horum autem nihil eſſe dico quod negari à quoquam Chriſtiano poſsit: ac proinde effici dico, quum nullus ritè ad ſacram Cœnā accedere poſsit abſque fide, & fide verè & reipſa fiamus Chriſti membra & templa, nullum ritè ad Cœnā accedere, niſi qui iam antea ſit & ipſi Chriſto verè & reipſa incorporatus, & conſequenter in eodem iuſtificatus ac ſanctificatus: tantū abeſt vt tua iſta quam ſomnias corporalis māducatio, inhabitationi & ſpirituali fruitioni tuo modo præeat. Neque enim (vt tu putas) ad Cœnā accedimus

cedimus vt tunc primùm Chriſto incorporati, percipiamus ipſius bona (quum & iam antea in Baptiſmo ipſum induerimus vt in ipſo ablueremur ab omnibus peccatorum ſordibus, & peccato mortui in nouam vitam reſurgeremus: & poſtea verbo vitæ per fidem apprehenſo, rurſus propius cum eo coaluerimus) ſed vt Chriſti magis ac magis participes facti, in ipſo adoleſcamus: ſiue vt quod iã obtinuimus, in nobis magis ac magis obſignetur. Si nobis non credis, Auguſtino ſaltem crede ſic ſcribenti. Nulli dubitandum eſt vnumquemque fidelium CORPORIS ET SANGVINIS eſſe participẽ quãdo in Baptiſmate MEMBRVM efficitur Chriſti: nec alienari ab illius panis calicíſque cõſortio, etiã ſi antequàm PANEM illũ CALICEMQVE bibat de hoc ſeculo migrarit in VNITATE CORPORIS CHRISTI cõſtitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando in ipſo ID QVOD SACRAMENTVM SIGNIFICAT inuenitur. Et de his quidẽ hactenus, vt quàm peritè de his myſteriis publicus iſte omniũ viuorũ & mortuorũ accuſator loquatur, omnes intelligãt. Nũc ad illos Pauli & Ezechielis locos accedo.

DICIT Apoſtolus Chriſtũ ſola dilectione gratuita motum erga Eccleſiam, id eſt electorum cœtum, pro ea mortẽ ſubiiſſe, vt eam aquæ lauacro per Verbum, id eſt ſecũdùm ſui

verbi tenorem per fidem apprehenſi repurgá tam ſibi ſegregaret, condonatis videlicet ipſius peccatis, eáque per ſancti Spiritus ſui virtutem conſecrata, vt eam demum ſibi plenè glorioſam ſiſtat.

In his verò quid aliud dicit Apoſtolus, quàm quòd nos ex ipſo docemus? Fons noſtræ ſalutis, ipſúmque adeo principium, medium, & extremũ eſt gratuitus Chriſti amor erga Eccleſiam, id eſt Patris electos. Hinc fit vt eam velut ex Patris manu acceptã ſibi in Baptiſmo adiungat in quo ſanctificatur, id eſt iuſtificatur & regeneratur, vt tandem abſque ruga & macula cõperta, cum ſponſo ſuo in æternũ regnet. Hæc ille ſelectus à Chriſto Apoſtolus, à quo abſit vt vel tantillum in docenda Eccleſia aberremus. Sed vult Illyricus mundationem præire inhabitationi. Ergo & ſãctificationi. Pręcedit enĩ participiũ καθαρίσας & ſequitur cõſtructionis ordine, ἵνα ἀυτὴν ἁγιάσῃ. Itaque hac ratione prius purgaremur, deinde ſanctificaremur, quum tamen ſanctificatio in ipſa purgatione ſit poſita. Nec enim duo diuerſa cõmemorat Apoſtolus, ſed quomodo Eccleſia ſanctificetur docet, nimirum dum à Chriſto purgatur, cuius beneficii pignus eſt Baptiſmus. Illud autem in primis illũ fefellit quòd hęc verba ἵνα παραςήσῃ ad incorporationem retulit: quaſi prius nos ſanctificari, deinde Chriſti mẽbra fieri oporteat,

quum

quum è contrario & iuſtitiæ imputatio & vis illa ſanctificans, à Chriſto in eos demùm promanet qui per fidem cum ipſo coaluerũt. Quomodo igitur illa interpretabimur? nẽpe tũ ex illo Zachariç dicto, *Vt ambulemus in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo* (hoc enim eſt coram Domino ſiſtidũ ad ſanctificationis metã contendimus) tum verò maximè ex illis Apoſtoli verbis, *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*: & illis, *Aduenæ ſumus in corpore, peregrè abſentes à Domino*: & ſimilibus aliis. Etſi enim iam re ipſa ſumus in illo & ipſe in nobis, & templa ipſius & ſponſa ipſius, tamen per comparationem, donec Deus ſit omnia in omnibus, deſponſa potius videtur huic Viro Eccleſia quàm nupta, quum vetus ille homo & maritus noſter nondum penitus interierit. Nec melior nobis quçrendus eſt interpres quàm ipſe Ezechiel, qui hunc ordinẽ ſequitur: *Et quum tranſiiſſem per te, vidi te, & ecce tempus tuum, temp⁹ amorum, & expandi alam meam ſuper te.* En cõiugii & cohabitationis pactũ ex honeſta apud Hebrços loquẽdi conſuetudine, ſicut etiam apparet ex Ruth 3, b, 9: quod perſpicuè & ſine vlla figura mox exponit Propheta, ſubiiciens, *& iuraui tibi, & inii tecum fœdus, & facta es mea.* Audis, Illyrice, Deum inchoare à connubio. Sequitur deinde, *Ego laui te aquis, Et ablui ſanguines tuos à te, & vnxi te oleo, &c.* Quæ quum ita ſe habeãt, & tamen te nõ pudeat ordinem mutare, qua-

ſi Deus primùm eam mundauerit, veſtierit, & poſtea tandem ſibi adiunxerit, deprehenderis falſarius, Illyrice, & manet inuicta Dei veritas.

PERGIT Illyricus, & alium locum ex Io. ca. 4. verſ. 23 citat, *vbi*, inquit, *Chriſtus primùm ponit obſeruationem ſermonum Dei, id eſt veram fidem, poſtea dilectionem ſiue fauorẽ Dei erga ſeruantem, id eſt iuſtificationẽ credentis, poſtremò cohabitationem Dei ac Filii eius cum credente. Igitur incorporatio eſt effectus iuſtificationis.*

ITERVM ridiculè Illyricus effectum accipit pro eo quod Conſequens appellant. Sed præterea quis eum hîc ferat? obſeruationem mãdatorum Dei interpretatur veram fidem: at cur nõ potius ſanctam & honeſtam vitam? Certum enim eſt Dominum ibi agere de fidei & veri in Deũ amoris fructibus. Poſtea per dilectionem Patris, iuſtificationẽ intelligit. Nec videt ineptiſsimus homo, ſi hoc verum eſſet, fore vt prius aliquis ſeruet Dei mãdata quàm fuerit à Deo dilectus & iuſtificatus. En quò nos abducant Illyricanæ demonſtrationes. Denique vult inhabitationem ſiue incorporationem illud vtrumque ſubſequi, vt hoc modo prius aliquis ferat bonos fructus (hoc enim eſt, ſeruare Dei ſermones: deinde fiat bona arbor, hoc enim eſt iuſtificari) ac tandẽ Chriſto inſeratur: hoc enim eſt Chriſto in-

cor-

porari. Et quis iſtas impias & blaſphemas ineptias diutius ferat? Saltem enim meminiſſet Illyricus iſtorum quæ mox apud Euangeliſtam ſequuntur, *vt palmes non poteſt fructum edere niſi manſerit in vite, ſic neque vos niſi in me manſeritis*. Quomodo verò in vite manebit qui prius in vite non fuerit? Imò ſi ex hoc verſiculo ſic colligendus eſt cauſarum noſtræ ſalutis ordo, vt comminiſcitur Illyricus, nos priores Deum diligimus. Sic enim loquitur Dominus, *Qui diligit me, ſermones meos ſeruabit, & Pater meus diliget eum*. Quid igitur? nempe ibi, vt paulò antè iam aliquoties fecerat, promittit Dominus gratiæ incrementum iis qui verè ipſi adhæſerint, quod quidem ex fidei fructibus, id eſt vita ad mandatorum Dei regulam compoſita, perſpicitur.

QVOD autē de gratiæ progreſſu dictū eſt, Illyricus imperitè ad initium transfert. Nec obſtat quòd dicit Dominus, VENIEMVS, quaſi antea abfuerit ſiquidem altero ſuperiore verſiculo ſic etiam locutus eſt, *Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & me ipſum ei patefaciam*, quæ verba non poſsis ad initium dilectionis & patefactionis Chriſti referre, quin & à nobis prioribus Chriſtum adhuc incognitum diligi, & nos demum poſtea à Patre & Chriſto amari, ac poſtremò tandem ad Chriſti cognitionem introduci

dicas, quę omnia non tantùm falſa & blaſphema, ſed etiam ridicula ſunt, & abſurda. Non diſsimiliter Paulus cùm Epheſios crediditiſſe & ſanctoSpiritu obſignatos eſſe dixiſſet, mox Deum precatur, vt det eis ſapientiæ ſpiritum, & oculos mentis ipſorum illuſtret. quæ ſi tu noſti, Illyrice, quo pudore nobiſcum agis? ſin verò ignoras, tuum eſt profectò potius in Eccleſia Dei tacere, quàm non modò loqui, ſed etiam viuos & mortuos inceſſere.

At enim, inquit, *primùm mundatur & conſecratur templū Domino, poſtea ipſe in eo habitat, vt 2. Cor. 6, plenius ſcribitur, & 2. Tim. 2. Si quis ſe ab his expurgauerit, erit vas Domino.*

Hic quoque miror, Illyrice, qua frōte hæc ſcribere audeas. Inſpice locos obſecro. *Ero (inquit Dominus) illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Quomodo verò illorum Deꝰ? *habitabo,* inquit, *in eis, & inambulabo.* Audis, Illyrice, nos tum fieri Dei populum, quum ille in nobis habitare cœpit vt ſit Deus noſter? Nec obſtat quod ſequitur, *Separamini, & ego excipiam vos.* nec enim his verbis aliud declaratur, quàm quomodo nos ſibi ſanctificet Dominus vt in nobis habitet, nempe dum nos ab aliis impuris ſancti ſui Spiritus voce ſegregat. Idque ex his etiam quæ ſequuntur diſcere optimè potuiſti. *Ero,* inquit, *vobis Pater & eritis*

mihi

mihi filii. Audis enim nos fieri filios, quoniam ille prius fit nobis Pater. Quorum autem Pater eſt? an non eorum demũ qui vnico illi Filio ſunt incorporati, & cum ipſo vnum facti? Alter autem Pauli locus quid tandem aduerſum nos concludit? Dicit enim Apoſtolus nos fieri vaſa Domino, id eſt inſtrumẽta ad ſacros ipſius vſus apta, quum ab illis ſordibus repurgamur. Sed vnde hęc repurgatio niſi ex Chriſti in nobis habitantis Spiritu?

PRAETEREA ſic etiam argumentatur hic noſter demonſtrator: *Iſta piorum myſtica incorporatio nihil aliud eſt quàm renouatio hominis per ſancti Spiritus inhabitationem: At renouatio ſeu inſtauratio hominis per inhabitationem diuinitatis, eſt reuera effectus aut certè conſequens iuſtificationis, non antecedens aut cauſa efficiens, alioqui bona opera non ſequerentur iuſtificandum ſed ſequerentur iuſtificatum. Inhabitatio enim & incorporatio in Chriſtum, idem ſunt atque renouari, & fieri os de oſsibus, & carnem de carne Chriſti.*

RVRSVM quęro, Illyrice, qua fronte de tãtis reb' adeò imperitè ſcribas & loquaris, nec procul abeo vt teipſum refellam. Nam hoc ipſo loco hæc quoque ſcribis, *Conditio & creatio ad bona opera fit per inhabitationẽ Chriſti eiuſq;*

Patris & Spiritus ſancti in nobis. An igitur ſanus es, quum ſtatim ſubiicis, inhabitatione Chriſti in nobis & renouatione noſtrî rem vnam & eandem ſignificari? Quid enim? an cauſam efficientem & effectum habes pro vno & eodem? Deinde an nō ſaltem in ſcholis diſcere debuiſti, nec quicquid antecedit eſſe cauſam efficientē, nec quicquid aliud conſequitur, propterea eſſe antecedentis effectum? & quo tandē iure ſanctificationē ſiue regenerationem habebis pro iuſtificationis effectu? Nam ſi iuſtificationē generaliter accipias, vt interdum vſurpatur ab Apoſtolo, ſāctificatio non erit eius effectus ſed pars aut ſpecies: ſin verò pro iuſtitię tantùm imputatę dono, ſiue gratuita peccatorum remiſsione, tum ſanctificatio alterum erit donum quod prius illud ſemper conſequitur, quoniam quicunque gratis in Chriſto iuſtificatur, idem quoque eius ſpiritu ſanctificatur. Vtrı́uſque autem doni vnus & idem fons eſt, Chriſtus ipſe nimirum per fidem noſter factus, & in nobis ſpiritualiter inhabitans. Neque hîc multùm nobis contendendum eſt, vtra ordine præcedat, quum vno eodémque momento Chriſtus per fidem apprehenſus, & ſua iuſtitia gratis imputata nos iuſtificet, & ſuo ſpiritu nos ſanctificare incipiat. Illud enim Auguſtini dictum, bona opera non præcedere iuſtificandum, ſed

iuſti-

iuſtificatum ſequi verißimum quidem eſt: ſed à te valde imperitè detorquetur. Suo enim more Auguſtinus iuſtificationem pro gratia regenerationis accipit, quod poſtea Sophiſtæ temerè ſequuti à veritate aberrarunt. Denique tu videris quàm propè abſis ab Oſiādriſmo, quũ inhabitationem diuinitatis, potius quàm carnis Chriſti commemoras.

SVBIICIT præterea Illyricus, *Etiam Scriptura nos docet per fidem iuſtificari & non per renouationem aut inhabitationem. Ergo inhabitatio non præcedit ſed ſequitur iuſtificationem.*

RESPONDEO, Illyrice, nos ne per fidem quidem iuſtificari, ſi fidem cum renouatione compares, id eſt ſi fidem vt qualitatem inhærentem conſideres, quoniam nulla inſita qualitate iuſtificamur, ſed ſolo Chriſto per fidem vt inſtrumentum apprehenſo. Fateor autem vnicum hoc inſtrumentum eſſe fidem, non renouationem, vtpote quæ vna ſit ex Chriſti ipſius per fidem apprehenſi effectis, vt & ipſa iuſtificatio. Sed duo hîc tibi demonſtrāda ſunt. Vnum, qua ratione inhabitationem Chriſti, cum hoc Chriſti inhabitãtis effectu cõfundas, quod regenerationem, ſiue renouationem, ſiue ſanctificationem vocamus: alterum, In qua tandem dialectices ſchola ſic argumentari didiceris.

ALIVD Illyrici euidentiſsimum argumẽtum eſt huiuſmodi *Renouatio per inhabitationem eſt obſignatio ipſius iuſtificationis. Non eſt igitur medium ad apprehendendam iuſtificationem.*

BENE eſt, Illyrice, quòd iterùm teipſo iudice perperã renouationẽ & inhabitationem vnum & idem eſſe paulò antè dixeris, quum illam per hanc effici nunc confitearis. Sed in eundem errorem impingis in cõcluſione. Vnde enim didiciſti renouationem à nobis conſtitui pro adipiſcendæ iuſtificationis medio?

ARGVMENTATVR poſtea Illyricus à ſufficiẽti partium enumeratione. *Triplex enim eſt,* inquit, *manducatio corporis Chriſti, Vna, quæ eſt perceptio fructuum ſiue efficaciæ aut meriti Chriſti quam exploſit Caluinus. Altera inhabitationis ſiue incorporationis quæ ſit ad alteram illam priorem aditus, quam ex prædictis apparet eſſe explodendam. Tertia ſacramentalis aut corporalis, quæ exploſis illis ſola supereſt, vtpote à Chriſto inſtituta & ſancita.*

RESPONDEO, Illyrice, hîc ſi vſquam alibi, quo Spiritu ducaris ipſos etiam pueros cognituros. Primùm enim falſũ eſt quod dicis priorem illã mãducationẽ à D. Caluino exploſam eſſe. Nam ſi ita eſſet, vbi tandem ſalùs noſtra conſiſteret? Sed hoc docuit aſſentientibus omnibus Caluinus, beneficiorũ Chriſti perceptionem ab ipſiuſmet Chriſti cõmunicatione minimè

minimè ſeiungendam eſſe, quum hæc ſit illius fundamẽtum, quia videlicet Chriſtus ipſe datur nobis tanquã fundus ex quo poſtea fructus illos omnes colligamus. Sunt autem iſta coniunctiſsima, nedum vt vnum ab altero explodatur. Deinde manducationem, quam vocas, inhabitationis ſiue incorporationis, ſi tu exploſiſſes, quid, quęſo, effeciſſes? nempe vt tertia illa tua commẽtitia, de qua mox dicam, ſubſiſtere nullo modo poſſet. Niſi enim fiamus ipſius crucifixi corporis & effuſi ſanguinis participes, id ęſt niſi Chriſtus ipſe noſter fiat, quid erit tua corporalis mãducatio corporis præter inanem & incomprehenſibilem chimæram?

Erit enim certè ſubſtantialis abſque ſubſtantia, realis abſque re, corporalis denique abſque corpore, & ſanguinea abſque ſanguine. Itaque prorſus hîc videris ita in tuis demõſtrationibus fuiſſe occupatus, vt Chriſti corpus μονόγραμμον effeceris, adeóque propoſitæ quæſtionis ſis oblitus. Nec enim an corpus & ſanguis, ſiue an ipſe Chriſtus communicetur controuerſiam eſſe millies iam ſurdis repetii, ſed ſpiritualitérne per fidem à mente fideli, an verò corporaliter ore & dentibus à quibuſuis percipiatur. Prætcrea vbi tandem hęc duo epitheta, SACRAMENTALIS & CORPORALIS, vt tu quidem accipis, ſynonyma eſſe didiciſti? Cõſtat enim idcirco inſtituta eſſe μυςήρια ſiue Sacramẽta vt corporeis

ſignis propoſitis aliquid arcanum & ſpirituale animo inſculperetur. Denique apageſis cum tua illa tertia manducatione, quam cum corporis Chriſti veritate & ſalutis noſtræ myſterio nunquam certè magis quàm lucem cum tenebris congruere demonſtrabis.

Postremo Illyricus D. Caluinum palpabilis contradictionis arguit, immemor, vt exiſtimo, palpabilia iſta craſſæ, vt ipſemet loquitur, manducationi ſuæ potius quàm noſtræ ſpirituali cõuenire. Eſt autem quod dicit eiuſmodi: *Dicit Cal. Eph. 5. Sacramenta nos ducere ad Chriſtum. Nota igitur ad Chriſtum adducere non eſſe Sacramenti eſſentiam, ſed effectum & fructum. Item in Harmonia docet potione ſanguinis Chriſti ſanciri hoc fœdus vt ſit efficax, quod idem eſt ac ſi diceret, potionem ſanguinis præcedere omnino efficaciam huius Sacramenti. At ipſe rurſus contrà paſſim docet inhabitationem Chriſti in nobis qua renouamur ut fiamus caro ex carne eius, eſſe vnum ex precipuis ipſius beneficiis, quæ poſtquam ad Chriſtum adducti ſumus, ab eo accipiamus. Itaque palpabiliter ſecum pugnat dum iſtam manducationem Chriſti iam facit eſſentiam Sacramenti* (hoc falſum eſt, Illyrice: aliud enim eſt D. Caluino manducatio, quæ eſt actio, quam illud ipſum quod manducatur, ſpiritualiter nimirum per fidem, nempe ipſe Chriſtus qui res eſt & eſſentia Sacramentorum) *iam effectum ex eius efficacia pro-*

cia prouenientem: hoc quoque falſum eſt, Illyrice. Nec enim tunc D. Caluino manducatio eſt effectum, ſed actio: qua interueniente, ſpirituali nimirum & per fidem, Chriſtus ipſe fiat noſter: quæ demum participatio ſiue *κοινωνία* eſt effectum, vt hoc pacto ex noſtro Chriſto iuſtitiam & vitam hauriamus. *Iam facit eam nos deducere primùm ad Chriſtum.* Iterũ hoc falſum. Nec enim dicit D. Caluinus manducationem corporis nos ad Chriſtum deducere, quum nos potius ad eum deduci ſiue per fidem accedere oporteat priuſquam ipſum percipere poſsimus. Sed à Sacramentis, id eſt à ſymbolis illis ſacris nos ad eum deduci, illud eſt quod D. Caluinus docet, quoniam nimirum ipſorum officium eſt Chriſtum noſtræ fidei oculis efficaciter commonſtrare, vt hoc modo excitata tãtò ardẽtius ad ipſum accurrat. *Iam facit beneficium ac donum Chriſti, quod poſtquam ad eum adducti ſumus à Patre conſequamur.* Hîc rurſus Illyrice, quod inhabitationem ſeu potius incorporationem rurſum pro vno ex ipſius effectis, id eſt pro renouatione accipis, ſcito, Illyricè, & abſurdè & præter D. Caluini ſententiam à te fieri. En palpabiles noſtros errores. Eum porrò qui in re tam conſentiente contradictiones inueniat, quis tandem exiſtimare poſsit vel cum ſemetipſo, vel quum quoquam alio poſſe conſentire?

Ad XXVI.

Hîc demum omnes ſuos neruos contendit Illyricus, vt celebrem illum locum Ioh. 6, in quo ſpiritualis mãducatio carnis & ſanguinis Chriſti aſſeritur, nobis extorqueat: neque diſsimulat ſe neſcio quid ab aliis antea non animaduerſum, velut ἕρμαιον quoddã ſibi videri reperiſſe. Eſt autem illud in ſumma huiuſmodi, quod vix quatuordecim paginis abſoluit.

Primvm negat Chriſtum ibi de ſacra Cœna agere, vt, inquit, centies reſponſum eſt. Quaſi verò viciſsim noſtri millies non reſponderint, ſic ibi non agi de Cœna Domini, vt tamẽ de eo ipſo agatur quod poſtea in Cœna Domini, adiunctis viſibilibus panis & vini ſymbolis, ſancitum eſt, id eſt de ipſius carnis & ipſius ſanguinis, qui verus eſt noſter ſpiritualis cibus ac potus, vera perceptione. Qui verò aliter ſentiunt, quid tandem afferunt? hoc vnum videlicet, quòd in illo Ioannis capite appellatione carnis & ſanguinis, non ipſæ res vt in Cœna Domini, ſed earum tantùm virtus & efficacia ſignificetur, quam & ipſi ſpiritualiter ſola fide percipi nobiſcum confitentur. Nam ſic quoque ſcribit Illyricus demonſtratione 27. *Ioh 6, quum dicitur, Caro mea eſt cibus, &c. neceſſe eſt intelligi de paſſione & merito beneficiiſque ex ſupplicio corporis & ſanguinis ipſius prouenientibus*. Sed hoc commentum de

ſola

ſola efficaciç abſque ſubiecto participatione, quid attinet pluribus refutare? Ipſe Chriſtus optimus ſuæ mentis interpres, antequam hæc diceret quæ iſti ad ſolam efficaciam detorquent, nempe, *Qui edit carnem meam, &c.* *&, Caro mea eſt cibus, &c.* dixerat, *Panis quem ego dabo caro mea eſt quam ego dabo pro mundi vita.*

An verò vel carnem hîc pro alio quàm pro ipſomet Chriſto, vel in proximo & cohærente ſermone Carnem aliter quàm in illo dicto fas erit accipere?

Itaqve concidit prorſus iſtorum interpretatio, quod etiam Patrum conſenſus confirmat, qui proptereà hoc loco de Euchariſtia copioſiſsimè diſſerunt, minimè id quidem quaſi ſacramẽtalis eſus ibi prçcipiatur qui poſtea demum eſt inſtitutus, ſed quia, ſiuę in ſolo Verbo ſiue in Sacramentis percipiatur Chriſtus, eadem res eſt, ipſe videlicet Chriſtus: & eadem quod ad rem ipſam attinet mãducatio, nimirum ſpiritualis & per fidem, ſtatuitur. Ideóque ſæpe ſum miratus fieri potuiſſe vt in Sacramentaria inſtitutione explicanda, in qua conſtat figuratè pleráque dici, quoniam hæc eſt μυστηρίων natura, nonnulli omnia vt propriè dicta acciperẽt: contrà verò in ſimplici ſermone, non tãtùm panis & manducãdi & bibendi vocabula metaphoricè explicarẽt,

in quibus tamen rectè ſentiunt: ſed etiam ipſa Carnis & Sanguinis Chriſti nomina tropicè pro ſola mortis efficacia interpretarētur,quod & falſum & abſurdum eſſe paulò antè ex ipſis Chriſti verbis declarauimus.

ITAQVE putauit Illyricus neſcio-quid acutius ſibi excogitandum. vult enim Capernaitas his verbis, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* de modo manducationis non percōtari,ſed illud quod dixerat Chriſtus, iſtiuſmodi genere dicendi vt ἀδύνατον repudiare: ac proinde Chriſtum quoque non de modo comedendi diſſerere, vt qui de eo non eſſet interrogatus, ſed tantùm doctrinæ ſuæ, quam illi vt falſam & abſurdam reiiciebant, veritatem iterùm atque iterùm inculcare.

HAEc ille,in eo quidem rectè ſentiēs,quòd Capernaitas arbitratur nō quo ſenſu vel modo intelligendum eſſet quod Chriſtus dicebat quæſiuiſſe, vt ii ſolent qui quod ſibi dicitur approbantes,tamen de ipſius modo & ratione percontantur, ſed potius Chriſti ſermones vt penitus abſurdos reieciſſe. Sed in eo planè aberrat à vero, quòd non conſideret hac particula QVOMODO, quæ eſt admirantis aut potius auerſantis,ſignificari etiam cauſam quę Capernaitas impulerit vt Chriſti verbis non aſſentirentur.

Quo-

Quoniam enim vt propriè dicta accipiebant quę metaphoricè à Chriſto dicebãtur, trãſlatione videlicet illa vulgari à CORPORE ad animum facta, idcircò ſtatuebant abſurdiſsimũ eſſe Chriſti dictum ac proinde ſtatuebant fieri non poſſe vt ipſe ſuam carnem eis vorandam præberet, quamobrem etiam vt abſurdiſsima loquentem alii deriſerunt, alii etiam deſeruerunt. Chriſtus igitur vt huic malo occurreret poſtquam eandem doctrinã inculcaſſet, duo reſpondit: vnũ, iure ſeſe carni ſuæ viuificandi robur tribuere, vtpote quæ diuina virtute ſit perfuſa, quod eſſet aliquando perſpicuè demonſtraturus, quum depoſita omni infirmitate, propter quam ab eis tunc deſpiciebatur, ad Patrem ſuum apud quem erat ab æterno Deus, eam euexiſſet: alterũ, ineptè eos facere qui corporali & craſſo mundo manducationem illam acciperent, quæ eſſet ſpiritualiter intelligenda, quum ipſe non de hac vita nec de cibo & potu ad hanc vitã pertinentibus, ſed de ſpirituali & æterna vita diſſereret.

HAEC ego tibi ad duas iſtas argutiolas reſpondeo, nec recuſo quominus ſit penes omnes aliquo in Scripturis iudicio præditos homines iudicium.

Ad XXVII & XXVIII.

HIC quoque Illyricus ſua φυλακτήρια expandit quantum poteſt: in ſumma verò mul-

tis paginis inculcat articulum 7ò toties in ſacra illa inſtitutione repetitum minimè negligendum eſſe, cuius nimirum ea ſit vis vt ſignificet dari non corpus myſticum, quod eſt Eccleſia: non corporis duntaxat efficaciam: ſed ipſum ILLVD corpus quod traditum eſt in mortem pro nobis, & ILLVM ipſum ſanguinem effuſum pro nobis.

RESPONDEO Illyricum vel inſignem calumniatorem vel ſummè obliuioſum diſputatorẽ rurſus hîc deprehẽdi. Quoties enim à noſtris reſponſũ eſt, nõ cõſtitui à nobis plura vnius Chriſti eſſentialia corpora, & in primis veri illius ſiue corporis ſiue ipſiuſmet Chriſti cõmunicationem à nobis poni, cuius præcipuè ſanciendæ cauſa ſit tota hæc actio inſtituta? De hoc igitur, Illyrice, ſiue quid in cœna detur, ſiue quæ ſit res Sacramẽti, inter nos nõ quęritur niſi à rixoſis & cõtentioſis qui Eccleſiarũ diſsidiis ſatiari non poſſunt. Sed hoc quęritur, an manibus, an ore, an corporali &, vt tu ipſe loqueris, craſſa manducatione à quibuſuis credentibus ſumatur, comedatur, bibatur quod nunc glorioſum eſt ſupra cælos & nuſquam alibi, propter veri corporis modum, quam tuam ſententiam, vt craſſam, ineptam, & in veritatem carnis Chriſti blaſphemam, non poſſumus non repudiare: an verò Chriſtus verus homo nunc ſupra cælos

los ſecundùm carnem manens, ſeſe tamen ſpiritualiter in Cœna omnibus quidem accedentibus offerat, ſicùt & verbo & adhibitis ſymbolis promittit ac teſtatur, ſed à ſolis fidelibus (quoniam ſola fide apprehenditur) ſpiritualiter per fidem illic ſumatur, vt & illum & omnia ipſius bona poſsideant, id quod ex verbo Dei, perpetuóque Eccleſiæ conſenſu ſecundùm fidei analogiam & Sacramentorum naturam docemus.

Ergo, vt paucis abſoluam, abſit vt articulorum vim quoties retinenda eſt, tollamus: & quod ad me attinet, habeo quod tibi reſpondeam cur in his verbis τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου & τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου articulum non expreſſerim: illa verò ἡ καινὴ διαθήκη, conuerterim Nouum illud teſtamentum, quoniam videlicet in iſtis verbis diſcernitur nouum illud promiſſum fœdus à vetere quod abolebatur, in illis autem nullus fuit diſcrimini locus, quoniam non niſi vnum eſt Chriſti corpus. Nam quod excipis tripliciter hanc corporis Chriſti vocẽ accipi, præterquam quòd à te (vt mox oſtendam) non ſatis rectè explicatur, nullo modo huic loco conuenit. Illud enim quod ſubiicitur, nempe τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον ſatis declarat de alio quàm de naturali corpore hîc non agi. Deinde quum

ad alterum nempe ad ſanguinem ventum eſt, vides nullum tuæ illi diſtinctioni locum relinqui, quum Eccleſia myſticus ſanguis Chriſti non dicatur. Facis autem, Illyrice, quod homines indocti ſolent. Legiſti magnam interdum vim eſſe articulorum, quod ego quidem quibuſcunque potui locis, pro iudicii mei modulo, & in mea Interpretatione & in Annotationibus bona conſcientia obſeruaui. Tu verò temere hoc arripiens ſine delectu valere exiſtimaſti, quum tamen propter adiunctas illas determinationes τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον & ἐκχυνόμενον, minimè ſic neceſſariũ in Latino ſermone articulos illos, niſi fortaſſe ſignificandæ dignitatis cauſa, retinere. Nam ſi quidem placeat propriam articulorum naturam in his verbis obſeruari, vide quò te ipſum præcipites. Ita enim fiet vt non eum ſanguinem quem nunc glorificatum recepit in reſurrectione Dominus, nec qui fortè intra corpus crucifixũ reman ſit, ſed eũ ipſum duntaxat quem ex ſuis vulneribus effudit, & tunc diſcipulis prębitũ, & nũc nobis pręberi doceas: à Nicodemo ſcilicet vel alio quopiã collectum, cuius etiam naturales aliquot guttas Papiſtæ apud ſe teſtantur aſſeruari. Quid tu verò ad iſta dices? nimirum hæc eſſe curioſa & profana. Ego verò etiam addo falſa eſſe. Sed hûc nos adigi dico tua illa corporali & craſſa manducatione, & inepta, in vi articulorum

rum explicanda, grammatica.

IAM autem accedo ad tuum illud triplex Chriſti corpus. *Vis enim corpus Chriſti interdum naturale illud ſignificare pro nobis aſſumptum: interdum autem myſticum illud vbi ipſe Chriſtus ſit caput, ſinguli autem pii membra: interdum autem paſſionis meritum & beneficia ſic etiam vocari.*

NOS in prima ſignificatione tibi aſſentimur. In altera conuenit quoque inter nos in re ipſa, ſed in eius explicatione tibi non omni ex parte aſſentior. Eccleſiam enim lego interdum (1. Cor. 12, 12) à capite ſuo quod Chriſtus eſt Chriſtum vocari: ſed hac ratione Eccleſia non corpus myſticum, ſed Chriſtus myſticus appellanda fuerit. Quũ autẽ Eccleſia myſticũ Chriſti corpus vocatur, res ipſa oſtẽdit caput à corpore ſiue mẽbris cohærẽtibus diſtĩgui, ac proĩde corporis nomine Chriſtũ qui ſit caput ipſi⁹ corporis, nõ ſignificari. Quomodo enim corpus eſſet Chriſti, ſi Chriſtus eſſet ipſius corporis pars? quod παρέργως placuit annotare vt aliam tuam calumniam refellam qua comminiſceris corpus Chriſti naturale, à nobis in illud myſticum transformari, quando noſtri cum Chriſto cõiunctionem dicimus illa Sacramentali manducatione ſanciri. Tertiam denique tuam illam ſignificationem carnis & ſangninis Chriſti tu videris quomodo poſsis ex Scripturis demõ-

ſtrare.Sed quod maximè dictum oportuit, à te prætermiſſum fuiſſe dicimus,quoddam etiam eſſe Chriſti corpus Sacramentale, id eſt Sacramentaliter acceptum,quũ alioqui,quod ad rem ipſam attinet, ſit illud ipſum naturale.Nec enim ignoras hoc & ſcriptum & explicatum eſſe ab Auguſtino in epiſtola ad Bonifacium millies à noſtris citata, & nihil eſſe apud ſacros ſcriptores iſta ſignificatione vſitatius:niſi fortaſsis exiſtimas corpus ipſũ Chriſti naturale frangi, dentibus atteri, in terram cadere,palpari,videri,confici, conſumi, quæ omnia corpori Sacramẽtali,ſiue quatenus Sacramentaliter ſignificatur, id eſt non ſui ſed ſymbolorum reſpectu,apud eruditam vetuſtatem tribuuntur. Sed de his ſanè nimiùm multa.

Ad XXIX,& XXX.

SVPERIORE demonſtratione Illyricus (quandoquidem ſua commenta ſic vocat) ne quid ad ſummam audaciam deeſſet, non dubitauit fœdum illud & à ſanioribus etiam Papiſtis impugnatum commentum ex impuris Scoti lacunis hauſtum,de indiuiduo vago & identica propoſitioné nobis propinare. Sic enim diſertè ſcribit.

QVONIAM, inquit, *articulus prædicato adii-*

to adiicitur, omnino videtur identicam prædicatio-nē efficere, qu. d res ſubiecti ſit ipſamet res prædicati, ea nempe ratione quam prolixius in fideli admonitione expoſui.

E G O verò, Illyrice, tuam illā admonitionē nondum nancisci potui, quæ tamen quàm ſit fidelis, ex iſtis quas vocas demonſtrationibus ſatis liquet. Placet tamen expendere quibus coloribus ridiculam iſtam laruam depinxeris.

A D D I T V R, inquis, articulus prædicato, ergo eſt identica propoſitio. Vbi verò huiuſmodi dialecticen didiciſti? Ipſe Paulus qui τῦτο τὸ ποτήριον dicit eſſe τὴν καινὴν διαθήκην, an dicit ſiue poculum ſiue id quod poculo continebatur & nouum Teſtamentum, vnum quiddam, & idem eſſe?

N O N eſt maioris momenti grammatica regula quam tradis, *Poſt pronomen demonſtratiuum ſemper repeti articulum, & addi ei rei quam pronomine demonſtrare volumus.* Vt enim poſſis hāc regulam applicare, dicendū fuerit, τῦτο τὸ αἷμά ἐστιν αἷμά μȣ. Si mihi non credis, crede Grammaticis quorum regulas neſcio an in Græcis teneas, certè in Latinis plerunque negligis.

Profers præterea magnū quoddā arcanū ex Hebræorum penu depromptū. Vis enim τῦ τὸ

ἰσοῦν idem declarare atque Hebræorum הִנֵּה, ac ſi ſcriptum ſit, Ecce corpus meum, Ecce ſanguis meus, nempe vt non panis, non vinum, ſed ſolum corpus & ſolus ſanguis demonſtretur. Nec te iſtorum pudet?

Sic, inquis, *Hebræa verba Exod.* 34, *En ſanguis fœderis, conuertit Epiſtola ad* Hebræos, τοῦτο τὸ αἷμα, *& videtur Chriſtus nouum* Teſtamentum *inſtituens, ad Hæc ipſa verba Moſis alluſiſſe.* Concedo vtrumque: ſed vide quàm appoſitè argumenteris. Ibi Moſes cur aliter, obſecro, loqueretur? nec enim aliud quàm ſanguinem illum demonſtrabat. Sin verò voluiſſet per typum, id eſt per illum ſanguinem pecuinum populo rem ipſam ſignificatam apertè demonſtrare, vt poſtea ſuis diſcipulis fecit Chriſt⁹ apertius iam nobis loquens: quis præter te non videt oportuiſſe illum & typum & rem ſignificatam nominare? nam alioqui alterum tantùm nominando, alterum præteriiſſet. Ideo admonui in meis Annotationibus, non ſatis rectè nos interpretari HIC EST SANGVIS MEVS, quum omnino dicendum ſit, HOC EST SANGVIS MEVS, vt HOC idem declaret, atque HOC POCVLVM, ſiuè, HOC VINVM iſto poculo contentum, ſicut priore loco idem pronomen HOC, idem declarat, atque HIC PANIS.

DIC enim, quæſo, quam rem vocauit Chriſtus

Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem ſuum? an non eam ipſam quam accepit, fregit, dedit diſcipulis ſuis? Quid autem iubet eos accipere, comedere, bibere? annon quod acceptum & fractum, eis in manus porrigebat?

QVOD ſi excipias eum non dediſſe ſolum panem nec ſolum vinum, concedimus & nos. Dabat enim Sacramentum, quîcum erat Sacramentaliter coniuncta veritas. Sed ſi duo dedit, Sacramentum videlicet & rem Sacramenti (quod negare non auſis) cur illud quod in ſenſus externos incurrebat, & de quo præcipuè admonitos diſcipulos oportuit, vt Sacramenta à rebus communibus diſtinguerēt, prorſus in demonſtratione prætermitteret?

DENIQVE quum Lucas ſcribit τοῦτο τὸ ποτήριον, nullum dubitationi locum relinquit, quin Dominus demonſtratiuo pronomine, Sacramentum ipſum, id eſt, vinum in poculo contentum declararit: quod quum & Paulus inculcans ILLVM panē quē frangimus, & ILLVD poculū cui benedicimus: & omnes orthodoxi Patres toties inculcantes, cur & quo ſenſu Pani & Vino tribuatur Corporis & Sanguinis appellatio, planiſsimè & ſæpiſsimè expreſſerint, quis non miretur adeò poſſe nonnullos ipſo meridie cæcutire? Quid tamen ait Illyricus? *Illa locutio,* inquit, *adeò communis & vſitata eſt qua continens rectius quàm contentum oſtendi cernique poteſt, vt propria haberi queat.* Be

ne eſt igitur quòd tandem tropum aliquem cogitur Illyricus in re Sacramentaria agnoſcere, & quidem cuiuſmodi? illam ipſam metonymiam alioqui tãtopere ipſi inuiſam. Sic enim Grammatici vocant, velit nolit Illyricus, figuram qua continens pro contento & ſignũ pro ſignificato accipitur. Sed hoc, inquit, tam eſt vſitatum vt proprium haberi queat. Nempe libenter, Illyrice, ſi poſſes hunc etiam tropum in propriam locutionem transformares. Quî fit autem vt quum ſigno rei ſignificatæ nomen tam frequenter, quoties de Sacramentis agitur in Scripturis, tribui doceamus, vt nunquam ferè aliter ſcribatur, & cauſas huius metonymiæ grauiſsimas & iuſtiſsimas afferamus, quiduis tamen nonnulli malint quàm apertæ veritati aſſentiri? Quid verò? quum ipſius noui fœderis nomen poculo tribuitur, & panis dicitur Corporis cõmunicatio, an rurſus nullum hîc tropum agnoſcis?

Sed ad rem. Etiam ſi poculi appellatione ſignificetur quod in poculo continetur, an effeciſti ſolũ ſanguinem fuiſſe à Chriſto propoſitione identica demonſtratum? Nam certè in eo ſaltem à Papiſtis diſſentis, quòd vinũ quoque in poculo contentum fuiſſe confiteris. Cur non igitur præbito poculo demonſtraret Chriſtus quicquid eo continebatur? &, niſi ita ſit, vnde illud IN, CVM, vel SVB PANE ET VINO?

Poſtre-

Postremo monet Illyricus vt attentè conſideremus quid tunc egerit Chriſtus, & rectè quidem monet. Sed quorſum? vt oſtendat Chriſtum dediſſe comedendum verum ſuum corpus mox crucifigendum, & bibendum ſuũ ſanguinem mox effundendum, & quidem nõ abſentia, ſed præſentia. Neque nos verò inficiamur quin Chriſtũ ipſum totum verè in Cœna percipiamus. Sed vult ipſe præſens corpus cum pane, & pręſentem cum vino ſanguinem, manibus ſumi, & corporali ac craſſa manducatione comedi, & hauſtione bibi. *Nam*, inquit, *Moſes quoque præſentem ſanguinem commonſtrabat*. Concedo, Illyrice, ſed præſens ille ſanguis an non aliò nempe ad Chriſti ſanguinem Iſraelitas ablegabat, qui non modò corporaliter abſens, ſed ne re ipſa quidem adhuc exiſtebat? Cur ergò ſimilitudinem totam veritati non applicas? Eſt autem huiuſmodi. Sanguis victimarum corporaliter præſens aſperſus, Sacramentaliter ſignificabat abſentem adhuc Chriſti ſanguinem, quo tamen ſpiritualiter per fidem iam tum in ſpe abluebantur credentes. Ita & nunc panis & vinum corporaliter præſentia & in manus tradita, Sacramentaliter ſignificant corpus illud & ſanguinem illum Chriſti, abſentis quidem à nobis ſecundùm carnẽ quam ſuprà omnes cælos ſuſtulit, ſed verè tamen exiſtentis, (hoc enim differt noſtra conditio à Patrũ conditione) & fidei noſtræ prę-

ſentiſsimi, vt ſeipſum nobis donet, & noſter factus, nos in ſeſe ſpirituali æternáque vita viuificet. Hoc tamen Illyrico cōcedimus, Dominum quum primùm Cœnam illam ſuam inſtitueret, verè & re ipſa corporaliter fuiſſe diſcipulis & ſymbolis præſentem, ſed ſpiritualem nihilominus illum etiam corporis & ſanguinis eſum & potum fuiſſe vel fateatur neceſſe eſt, vel viſibilem etiam & palpabilem iſtam manducationem fuiſſe probet, quũ ipſe Chriſtus viſibilis adeſſet. Quod quum ita ſe habeat, hoc quoque affirmare non dubito, etiam ſi Illyrico daremus corporalem iſtam & craſſam ſignorũ & corporis ac ſanguinis coniunctionem, nihilominus nec poſſe nec debere in Eccleſia Dei aliam quàm ſpiritualem eius manducationem ſiue perceptionem conſtitui. Si hoc non credit, cum Auguſtino litiget qui in Pſalm. 98, ſcribens, & iſtius corporalis manducationis figmentum apertè velut ipſius Chriſti ore redarguens, *Spiritualiter*, inquit, *intelligite quod ſum loquutus. Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui, ſpiritualiter intellectum viuificabit vos. Et ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi.*

Haec ille, & nos quoque de his hactenus. Putidas enim illas & apertè falſas calumnias,

quòd

quòd in noſtris Eccleſiis diſertè iubeamus homines in inquirenda ſacræ Cœnæ veritate, tremenda illa Teſtamenti Dei verba ex oculis remouere, & noſtris cogitationibus ſpiritúſque relationibus indulgere: quòd quibuſdam locis manifeſtè ſacra Domini verba immutemus, & dicamus, Hoc eſt ſignum corporis mei, aut quippiam ſimile pro noſtro arbitrio: quòd ſophiſmatibus indulgentes ad ſimplices fallendos nihil non in verbo Dei immutemus: hæc, inquam, quorum falſitas & ſcriptis & moribus noſtris per Dei gratiam, & publico omnium teſtimonio qui Eccleſias noſtras ſaltem inſpexerunt, redargui poteſt, quorſum ego pluribus refutarem? Coerceat Satanā Dominus, & eius flabella compeſcat, bonos veritatis & concordiæ amantes inter ſe coniungat, infirmos ſtabiliat, Eccleſiam ſuamdenique & ab inteſtinis & ab externis omnibus malis ſartam tectam cuſtodiat.

FINIS.

Quædam ſic emendato.

Pag.3,lin.11,*lege* Schmolenſique 4,3,Paulus, 6,9,Chriſtum conſtituunt: 42,20 ,*ſic lege totum illum locum*, Sic totum Chriſtum eſſe vbique,ea quam ſæpe repetii ratione, nempe de toto ὑφισταμένῳ verè dicitur. 48, 10, futilem 50, 9, *dele* D.Andreæ. 51,22,aſſentiar, 52,1, perinde 53,19,homo 59,1,diuinæ naturæ 68,3,potuerit , nempe quia voluit non poſſe. 73,3,at non 74,12,ex iis 80, 3,quod,niſi dextra interpretatio addatur,falſum Ibidem 14, Andreæ nullam niſi perſonalem 83, 19 , aſſumptæ etiam poſt glorificationem reſpectu 102,30 , ſumuntur penitus indignè 107, 2,centies